
BACCII BALDINI

IN LIBRVM

HYPPOCRATIS

DE AQVIS, AERE, ET LOCIS

Commentarii.



BACCII BALDINII

IN LIBRVM HYPPOCRATIS.

DE AQVIS, AERE, ET LOCIS

Commentaria.

Eiusdem Tractatus de Cucumeribus.

CVM LICENTIA SVPERIORVM.



FLORENTIAE,
Ex Officina Bartholomæi Sermartellij.
CIↃ IↃ LXXXVI.

ATENEO VENETO
VENEZIA

BACCII
BALDINII
IN LIBRVM
HYPPOCRATIS,
DE AQVIS, AERE, ET LOCIS
Commentaria.
Eiusdem Tractatus de Ciceribus.
Cum Lectoris Systematum.

FLORENTIAE,
Ex Officina Bartholomei Serenarelli.
CIↃIↃLXXXVI.

OPTIMO, AC MAXIMO PRINCIPI

FRANCISCO MEDICEO

Tuscorum Magnoduci Secundo.

BACCIVS BALDINIVS

S. D.



MEDICINAE partibus optime ac maxime Princeps eam maxime laudandam esse existimo, quæ morbos præcognoscere & eorum naturam nouisse docet, siquidem cum morbos qui alicuius regionis incolis imminent prudens medicus præcognouerit ipsis antequam regionem illam inuadant occurrere poterit, ac prohibere ne eius habitatores torqueant, si vero morborum naturam qui iam regionem aliquam inuasere cognouerit, eos opt. curare poterit, præclarissima enim medendi ars cum morbos cognouit certissima est

non minus quã mathematicę ſint, id igitur Hyp-
poc. in hoc ſuo libro qui de Aquis, Aere, & Locis
inſcribitur opt. docet, ſiquidem cum ipſe aeris &
aquarum naturam in eo declaret, morbos qui vul
gares à medicis appellantur quiquę omnes com-
munem aliquam cauſam habent quę plerumquę
aer interdũ vero aqua eſt, antequam ad regionem
aliquam adueniat, præcognoſcere & cum iam re
gionem aliquam inuaſere eorum naturam cogno
ſcere docet, præterea cum rationem victus qua
incolæ regionum vtuntur conſiderare medico
prȩcipiat modumquę doceat quo eam medicus
cognoſcere valeat, morbos illos qui à græcis
ἐπιφάδες dicuntur & à ratione victus fiunt cogno-
ſcere docet, quæ cum medici nouerint morbos
quibus regionum incolæ periclitantur prohibe-
re & eos qui iam regiones inuaſerunt optime vt
dictum eſt curare prudens medicus poterit. Cum
igitur hic liber præ breuitate qua eius author li-
benter vtitur ſatis obſcurus iudicio meo ſit, vt
plerique Hypp. libri ſunt, & Gal. commentaria
in hunc librum deſiderentur, præterea menda-
rum & errorum, librariorum vel temporum cul
pa plenus ſit, ideo opere prętium me facturum
duxi ſi illum commentariis illuſtrarem & pro vi-
ribus meis à mendis & erroribus expurgarem ti-

bi

bi autem quod sciam te postquam reip. negociis, iustitię & militię operam dederis, rerum naturalium medicinę prę sertim maxime studiosum esse, hos labores meos qualescumque ipsi fuerint dicare decreui, & vt meritorum tuorum erga me magnitudini eo modo quo possum aliquantulum satisfacere videar, prę sertim cum sciam (tanta est animi tui humanitas), te illos hylari fronte, ac benigno animo accepturum. Vale nostri memor.

INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVAE in hoc Libro continentur.

AER iuxta Auerr. sentẽtiam spiritus instaurare non potest. pagina 105
Aer spiritus instaurat. 105
Aer salubris & insalubris quomodo cognoscatur. 114. 115
Aeris mutatio an aquæ grauior sit. 38. & inde.
Aeris magnæ & frequentes mutationes cur homines feroces & iracundos, paruę vero & rarę homines imbecilles, et timidos faciat. 203. 204
Alexandri opinio cur sol orientalem quam occidentalem plagam magis calefaciat. 93
Alumẽ mistum corpora clara facit. 151
Amphizones duplices, Asiaticæ & Europeę. 210
Animantia quę cornua habent cur maxillam superiorem sine dentibus habeant. 213
Antiperistasis quid sit & quomodo fiat. 127. 128
Annus salubris qui. 163. 164
Annus qui hyemem frigidã & siccam ver autẽ pluuium & australe quos morbos faciat. 165
Annus qui hyemem australem & tranquillam, ver autẽ Aquilonare Australe & procellosum habeat quos morbos vere faciat. 169. 170
Annus qui Aestatem & Autumnum pluuium habet quos morbos hyeme faciat & cur. 173. 174
Annus qui Aestatẽ squalidã & Aquilonarem, Autumnum vero pluuium & Australe quos morbos faciat. 174 & 175
Aqua pura cur non nutriat. 45
Aqua pluuialis cur leuissima, dulcissima tenuissima ac splendidissima sit. 136. 137
Aqua pluuialis corrigenda est & quomodo corrigenda sit & cur nisi corrigatur male olet. 143. 144
Aqua ex niue & glacie & Cristallo peximę sunt & cur. 144. 145
Aqua ex Niue, glacie & Cristallo cur pexima sit. 144. 145
Aqua Nili cur bona. 146. 147
Aqua sulfurea quæ in Emilia nascitur nec sulfur olet & frigida est. 151
Aquę vsus 42. & inde.
Aquæ bonitas vel malitia quomodo cognoscenda 47. & inde.
Aquę crudę quæ. 48
Aquæ cruditas quomodo cognoscatur. 48. 49. 78
Aquę quæ borealem cœli plagam spectant interdum crudas interdum vero dulces esse. 75. 76
Aquæ quæ septentrionem spectant cur interdum crudę interdum vero dulces sunt. 77. 78
Aquę quæ, in regionibus frigidis ventis expositis sunt cur hyeme longè a fonte frigidæ sint, estate vero itidem longe a fonte frigidæ. 81
Aquæ palustres, lacustres & stagnantes malę. 109. 110

Aquę

Aquę paluſtres, lacuſtres & ſtagnantes nulli rei vtiles ſunt. 122
Aquę quę è profundiſſimis fontib. fluũt cæteris ſplendidiores, leuiores, & magis bene olentes ſunt. 129
Aquæ fontanę quarum fontes meridiẽ vel medium locum inter hybernum ortum & occaſum ſpectant cur peximę ſint. 131. 132
Aquæ fontane quorum fontes boream cur minus malę ſint quam ille quæ meridiem vel medium locum inter hybernum ortum & occaſum ſpectant. 132
Aquę duriſſimæ, crudiſſimę ac ſubſalſę quibus idoneæ ſunt. 134
Aquę leuiſſimę, ſplendidiſſimæ ac bene olętes quibus idoneę ſunt. 134. 135
Aquæ ſalſę ventrem ſtringunt non ſoluunt. 135. 136
Aquæ pluuiales quam citiſſime putreſcunt & cur. 139. 140
Aquæ pluuiales cur leuiſſimę & ſplendidiſſimę. 139. 140
Aquæ pluuiales cur male oleant ibidẽ.
Aquę magnorum fluminum in quę alia flumina influant & aquæ paludum in quas multæ aliæ aquæ influũt malę ſunt & cur. 146. 156
Aquę Tiberis conſideratio. 147. *vſque ad.* 155
Aquarum vires & genera. 37
Aquarum fontanarum quæ optima ſit. 125. 126
Aquarum quę fontanæ ſunt gradus & quę nam optimę ſint. 130. 131
Arcturus ſydus quando oriatur. 19
Arcturus quod nam ſydus ſit & quęnã ſtella & vbi ſita ſunt. 177
Arni & Tiberis fontes qui & vbi ſint. 154
Artis, inſtituti & conſuetudinis vires. 196
Aſia magis temperata eſt quam Europa & cur. 184
Aſia propter voluptatem multiformes feras & partus edit & cur. 188
Aſiæ, Aphricæ, & Europæ termini. 182. 189
Aſię quęnam pars temperata ſit. 185
Aſię homines forma pulcherrimos & magnitudine maximos eſſe & iumenta ſępe parere ac opt. nutricari & cur 187. 188
Aſiatici nec audaces nec laborum patientes ſunt neque iracundi. 188
Aſiatici voluptatibus dediti. 188
Aſiatici cur molles, timidi & rei bellicę ignari ſint. 201
Aſiatici quod ſub regibus viuunt timidi & imbelles sũt & cur. 205. 206
Auerrois opinionis confutatio cur ſol orientalem quam occidentalem plagam magis calefaciat. 97. 98
Auſter & boreas cur vehementiores quam orientales & occidentales vẽti ſint & diutius durent. 22
Auſter cur vehementius ſpiret cum deſinit quam cum incipit. 23
Auſter in Aemilia peſtilẽs vẽtus ẽ 73
Auſter cur interdum frigidus licet raros ſit. 74

B.

BOREAS *in Aethruria cur frigidus & ſiccus in Aemilia vero frigidus & humidus ſit.* 91
Boreas in propriis locis ſi magna hyẽs ſit nebuloſus in lõginquis vero ſerenus ſit. Auſter vero è cõuerſo. 22. 23
Brutorum mores naturales conſuetudo auget. 239

C.

CALCVLOSI *cur tenuiſſimum ac ſplendidiſſimum mingũt* 159
Canis ſtella quæ & quando Florentiæ oriatur 18. 19

Corpora

Corpora temperata quę. 114
Consuetudinis vires. 155. 179
Crystallus non est glacies, sed metallum quoddam. 145. 146

D.

DE VENTIS *opinio Hypp. & rationes Arist. cõtra hanc opinionem & earum solutiones.* 22. 23
De ventis opinio Theophrasti. 22
De ventis opinio Anaximandri Metrodori & stoicorum. 22
Diuisio huius libri. 3
Diuisio anni cur pluribus modis fiat. 9
Diuites boni qui 230. 231
Diuitiæ sæpius ab hominibus prauis quam à studiosis possidentur. 230
Dolores articulorum & coxẽdicum in locis illis vbi homines multum equitant multi sunt 232

E.

EPINICTIDES *quę nam sint & ex quibus & cur noctu fiãt.* 69
Eunuchi olim in Perside regnauere 224
Europei non solum diuersarum prouinciarum sed vnius & eiusdẽ prouinciæ & vnius & eiusdem vrbis cur plurimum inter se differant 233. 234. 235. 236.
Europei virilitate & ferocitate Asianos, Asiani vero Europeos arte & ingenio superant 238
Europæi cur magis iracundi feroces ac sinceri quam Asiani sint. 237. 238
Experimenta quibus mulieres vtuntur vt cognoscant si qua mulier fœcunda futura sit nec ne. 227
Expositio sept. textus Hypp. primi prę sagiorum. 225
Aethiopia cur homines crispos ac nigros faciat. 242

F.

FAGEDAENA *quid sit.* 62
Fames naturalis & pręter naturam quomodo fiant. 111. 112
Febres hepialę quæ. 68
Febris quartana an pluries vnum & eundem hominem diuersis temporibus inuadere possit. 115. 116
Flatus ventus & spiritus quid significent & quid differant. 21. 22
Fontes & putei cur maiorem aquæ copiam & calidiorem hyeme quã æstate, æstate vero minus aquæ & eam frigidiorem habeant. 128
Fortitudinem quare resp. magis quam alias virtutes honorent. 208
Frigus corpora diuersę naturæ in vnũ cogit & condensat 145
Fructus regionis quę circa phasim est cur insipidi nec vnquam maturi sint pag. 198
Fugaces fructus qui & quid differant à non fugacibus. 17
Fuscus color qui pullus quoque dicitur qui nam sit. 241
Fuscus color ex quibus coloribus fiat, & eius apparentia. 242
Fuscis vestibus cur antiqui in funerib. vterentur. 242

G.

GERMANI *Belgę, & Batani cur bibaciſſimi sint.* 82
Glacies quid 145

H.

HEMORRHOIDES *ex quib. humoribus & quomodo fiant.* 70
Hystoria eorum qui Florętię in siccum puteum demissi fuere. 39
Hypp. tertio sęcto aphoris. & in libro de aquis, aere, & locis de anni temporibus egit & cur. 162
Hypp. annum sumit ab ortu & occasu mundano syderum & cur. 163

Hypp.

Hypp. Asiam & Europam peregrinatus est 182
Homo cur si sub sole vadit vestibus contectus vel sedeat magis sudat quam si nudus sub sole vadat. 138. 139
Homo sanus & bene valens cur nullis legibus se obligare & quamcumque aquam qua populus vtatur bibere debeat. 133
Homines qui regiones frigidis ventis expositas incolunt cur voraces magis quam bibaces sint. 82
Homines qui stagnātes aquas bibūt cito senescūt nec lōgeui esse possunt. 121
Homines qui loca vehementer calida & vehementer frigida incolunt cur feris moribus et aspectibus sint. 238
Homines qui montanas regiones asperas, nudas, & aquosas habitāt quales sint. 239. 240
Homines qui loca aperta & edita incolunt cur tardius senescant quā illi qui caua & palustria habitāt. 240
Homines qui cōcauas, palustres, effluosas & pratenses regiones & quæ calidis aquis vtuntur & vētis calidis patēt, incolūt quales sint. 241. 242
Homines qui regiones humidas incolūt & aquas sublimes bibunt & anni tempora male dispositā habent cur malo animo sint. 247
Homines qui bene munitā regionē, nudam, asperam, ab hyeme pressam & à sole exustā incolunt qui. 249. 250
Hora & horarius quid significet. 5. 6.
Horarum anni temperamenta. 1
Hora quot diebus duret. 17
Hora & dies caniculares idē sunt. 17
Horarum mutationes et maximē aeris mutationes cauendę & cur anni tēporum periculosissima sunt solstitia, sed magis æstiuum quā bruma deinde æquinoctiū autumnale. 180. 181

I.

IEIVNI *cur cœlerius concumbant quam saturi.* 235
Inanimata mores non habent. 239
Ira quid. 202

L.

LAC *nimis calidum cur puerulos calculosos faciat.* 159
Lapis in vesica quomodo gignatur. 158
Leges à malis morib. ortū habent. 244
Leges consuetudinē bonā faciunt. 244
Liber hic ad quam medicinę partem pertineat. 3
Lippitudines humidæ quæ. 70
Lippitudines siccæ quę & cur fiāt. 83

M.

MACROCEPHALI *quam regionem incolant.* 192. 193
Macrocephali quomodo capita longa facerent & cur. 193
Macrocephali cur tempore Hypp. etiā sine arte fierent. 193. 194
Magnę cœli mutationes regiones inæquales hę vero homines maxime differentes faciūt & cur. 191. 192
Maris & fœminę cōparatio. 248. 249
Medicina in quinque partes diuidi potest 2
Męotis palus hodie quomodo appelletur. 209
Modi quibus Hyppocrates libro suos incipit. 3. 4
Mores quid sint. 237
Morbus comitialis cur sacer dicatur. pag. 64
Morborum alij sporades alij vulgares. pag. 225
Morbi quomodo diuini dici possint. pag. 224. 225
Morbi qui à frigida & sicca hyeme & & à vere pluuio & australi fiunt quomodo tollantur. 168

Mores quidam hominibus sunt ab eruditione & philosophia, quidam vero à natura & horum vestigia in brutis videntur. 237
Mulieres plusquam pueruli bibũt. 161
Mulieres palustres aquas bibentes cur difficulter concipiant, & difficulter pariant. 119. 120
Mulieres calculosæ cur pudenda sua nõ trahũt nec terũt vt mares. 160. 161
Mulieres palustres, stagnantes ac lacustres aquas bibentes cur concepisse opinantur cum non conceperint, & cum tẽpus partus aduenerit tumor ventris deficiatur. 122. 123

N.

NEBVLA *quid.* 140. 141
Nebula cur serenitatis signum. ibidem.
Nix & pluuia quomodo & vbi fiant pag. 141. 142
Nigredo à nimio calore & nimio frigore fit sed diuerso modo. 220
Nutrimenta quæ antequam putrefiant in substantiam nutriti mutantur & quæ prius putrefiunt antequã in substantiam nutriti mutentur & cur. pag. 149. 150

O.

OPORA *quid significet & quæ nã anni pars sit & quot diebus duret.* 18 19.
Oppida, vici & vrbes quæ propè flumina sunt quæ semper currunt nec stagnant salubria sunt. 244. 245

P.

PAVPERES *boni qui.* 231
Pauperes mali qui. 231
Phasis fluuius magnus est & lentissime currit. 196. 197
Phasianorum ratio victus. 196. 197
Phasianorũ corpora quæ & color qualis sit. 199
Phasianorum mores qui. 200. 201
Phasiani cur grauissime omnium hominum loquantur. 200
Pituitosa corpora quare bene se habeant cum æstus & autumnus inaquosa & borealia fuerint, biliosa vere male. 177
Plantæ cum sub terra sunt cur albæ sũt, cum vero extra terram exeunt virides fiunt. 220
Poetæ cur Venerẽ ex spuma genitalium membrorum cœli quæ Saturnus in mare proiecit ortã esse fabulẽtur. 215
Poetæ cur per Pan naturã per Mercurium vero artem intelligebant. 196
Procella quid. 168
Pueruli qui dicantur. 64
Pueruli regiones ventis & soli male expositas habitantes cur sacro morbo & anhelatione laborent. 65
Planities illa quæ propè Florentiam est orientem versus & vulgò il pian di Ripoli dicitur cur morbosa facta sit & quomodo rursus salubris. 245
Pueri qui calculo laborant pudendum trahunt ac terunt & cur. 158
Putei quidã cur magis aqua abundent æstate cum maximi æstus sunt. 246

Q.

QVATVOR *anni tempora quando incipiant & quando desinunt & quot dies vnumquodque eorum habeat 6. & inde* 180. 181

R.

RATIONES *contra opin. Arist. de ventis* 25. *& inde*
Resoluere quid significet. 4. 5
Regiones vitæ longitudini aptæ quæ nã sint. 85. 86
Regionem aliquam vnam vel aliam cæli plagam spectare & ab aliquibus ventis tectam esse quomodo intelligi debeat. 50

Regio æqualis quæ. 246
Rufus color, qui. 220

S.

SAPOREM esse humidi vt *Arist.* ait quomodo intelligendum sit. 198
Sarmatæ & Sauromatę hodie quomodo appellentur. 209
Scythia regio accliuis & sublimis est. pag. 217
Scythici deserti descriptio. 211. 212
Scythę qui populi sint. 209
Scythę duplices, Asiatici, & Europæi. pag. 210
Scythæ propter frigus sibi ipsis similes sunt, aliis vero dissimiles, Ægyptij verò propter calorem sibi ipsis similes aliis vero dissimiles sunt. 211
Scythę cur humeros, brachia, costas, manuum articulos, pectora & lumbos exusta habeant. 218
Scythæ cur omnes rufi. 219. 220
Scythæ & eorum mulieres cur infœcundæ. 220. 221
Scythę cur Eunuchos fieri maximè desiderent. 232
Scytharum mulierum mores. 210
Scytharum qui Nomades dicuntur mores. 212. 216
Scytharum currus. 212
Scytharum boues cur cornua non habeant. 213
Scythia paucas & minimas feras prę frigore gignit. 214. 215
Scytharum corpora quę. 216. 217
Scytharum corpora præsertim mulierũ & puerorum cur distorta & laxa sint. 218. 219
Scytharum famulę cur promptè concipiant. 221. 222
Scytharum plurimi cur Eunuchi fiant. 222. 223. 224. 225.
Scytharum vulgus causam cur Eunuchi fiant ad Deum referunt. 224
Scytharum curatio dolorum articulorum & coxendicum. 226
Scytharum diuites & nobiles magis quam pauperes Eunuchi fiunt. 229
Semen ab omnibus corporis partibus venire vt Hypp. hic dicit & Arist. 15. probl. quarti secti quomodo intelligendum sit. 194. 195
Semen magnam cum cerebro affinitatem habet. 227
Semen genitale non solum à magnis cœli mutationibus mutatur, sed etiam à ratione victus. 235
Semen genitale vinolẽtorum hominum infœcundum est. 235
Senes cur ventris pro fluuio non laborent. 67
Senectus quid. 240
Sphacelus quid. 175
Similitudinis & dissimilitudinis causę quas Arist. docet 3. cap. 4. lib. de generat. anim. non opponuntur illis quas in hoc lib. Hypp. tradit. 236
Si annus hyemem tranquillam ver autem boreale habeat cur abortus fiant & pueruli qui nascuntur cito pereant vel morbidi viuant. 171
Sol cur magis oriẽtalem plagam quam occidentalem secundum Auerroem calefacit. 96. 97
Sol à quocumque corpore quod tenuissimum humoris est attollit. 138
Sudor quid. 139

T.

TERRAM fœminam esse & omnium matrem *Arist.* dixit. 251
Testes vim quandã ad vniuersum animantium corpus mittunt qua animans mas vel fœmina dicitur, & quænam sit eavis. 223
Tranquillitas à duabus causis fit. 28

V.

VENAE quędam post aures sunt quas siquis secuerit cur homines steriles fiant. 227. 228
Venti omnes cur refrigerent, & humectent. 29. 30
Venti aquarum vires frangunt & augent. 156
Veti occidentales iuxta Arist. sententiam saluberrimi sunt. 103
Venti occidentales iuxta Hypp. sententiam aquosissimi sunt. 101
Venti occidentales in Aethruria saluberrimi ac suauissimi sunt. 104
Ventus quid sit. 22
Ventus Cenchoma Phasianorum indigena qui ventus sit. 200. 201
Ventorum causę efficientes & finales quę. 29
Ventorum numerus. 31
Ventorum situs. 31. 32
Ventorum vires. 32
Ventres duri quot modis dicantur. 110
Vindemiator quæ nã stella sit, & quod sydus & cur olim prę uindemiator dicta fuerit, & quãdo oriatur. 20. 21
Vinum aquosissimum salubrius est pueris quam lac nimis calidum. 159
Viri in pudendis non recta perforati sunt. 161
Vita quid sit. 84
Vter si plenus sit & perforetur aquam emittit, si vero plenus non sit & perforetur spiritum emittit. 129

FINIS.

Errata sic corrigito.

Pagina 2. linea 16. suboscure, leg. suboscura. p. 2. l. 35. curationem, curationum. p. 3. l. 8. σημειοτικεῖ, σημειοτικὴ. p. 12. l. 14. nouo, nono. p. 12. l. penult. aliquid, aliquod. p. 16. l. 14. non hoc, de hoc. p. 21. l. 34. spiritu, spiritus. p. 24. l. 33. littoras, littora. p. 27. l. 33. obliqui, oblique. p. 28 l. 13. comitare, concitare. cad. pag. l. 14. vigeant, rigeant. p. 31. l. 14. Eurumi, Eurum. p. 40. l. 6. videticet, videlicet. p. 46. l. 2. procellosam bonam, bonam, procellosam. p. 54. l. 8. ἐπιδήμια, ἐπιδήμιοι. p. 79. l. 25. peculiaros, peculiares. p. 85. l. vltima. &, ea p. 88. l. prima. audace si, audaces. p. 91. l. 17. Apenninis, Apennini. p. 113. l. 10. dacunt, ducunt. p. 114. l. 8. bili, illi. p. 118. l. 34. autumno, æstati. p. 119. l. 4. humores, tumores. p. 120. l. 26. pariuntur, pariunt. p. 222. l. 35 non est referendum illud non, non debet. p. 124. l. vltima. natura, nam. p. 142. l. prima. coaceruat, coaceruata. p. 143. l. 1. contrariis, contrarij. p. 165. l. 33. nisi sihyemem, nisi hyemem. p. 188. l. 20. innasci potest, innasci posse. p. 198. l. 30. Gal. testimonius, testimonio. p. 206. l. 4. regem, rege. p. 213. l. 1. lucoque, lutoque. p. 222. l. 17. fremari, frenari. p. 230. l. 26. venisse, euenisse. p. 231. l. vltima. affectum, affectu. p. 236. l. 6. indiunt. indunt.

BACCII BALDINII COMMENTARIA

IN LIBRVM HYPPOCRATIS De Aquis, Aere, & Locis.



EX iis quæ interpretes præfari solent antequam ad libri quem interpretandum suscepere, expositionem ad grediantur, tria tantum dicemus, videlicet libri inscriptionem quoniã ea varie fertur, deinde ad quam medicinę partem liber hic pertineat, postremo eius diuisionem siquidem ea quoque multiplex est, reliqua vel ex se ipsis, vel ex his tribus manifesta erunt. Inscribitur itaque liber hic tribus modis, videlicet DE AQVIS, AERE, ET LOCIS quomodo etiã Gal. tẽporibus liber hic inscriptus erat, vt ipsemet Gal. in commentario decimi quarti Aphorismi tertij secti dicit, rursus inscribitur de Aere, Locis, Aquis, temporibus, ventis, & astris, quæ inscriptio legitur in quibusdam codicib. græcis, & illis quidem antiquis, quę manu scripta sunt. At Gal. in tractatu de propriis libris bis dicit hunc librum Hypp. quem ipse affirmat se exposuisse, & inscribi de Aquis, Aere, & Locis, debere inscribi de habitationib. aquis, tẽporib. & regionib. nullam tamen rationem adducit cur antiquam illam inscriptionem reprobauerit, nos vero primam illam inscriptionem, ideo comprobamus quoniam ea breuior est reliquis duabus, Hypp. autem in scriptis suis breuitati maxime studuit, secunda autem videtur potius esse expositio quædã primæ inscriptionis quam inscriptio huius libri, Hypp.

R. ISTITUTO VENETO VENEZIA

enim hoc in libro propter locum omnia tractat, qui homines in eo degentes conseruare debet, hanc autem conseruationem cœli temperies, & aquæ bonitas maxime præstant, earumdem autem malitia ipsam destruunt, quamobrem Hypp. in libro de flatibus aerem omnium morborum causam esse affirmat, & in hoc libro aquam multos morbos facere dicit, aeris autem temperamentum plerumque aquæ bonitas comitatur cœli vero inclementia aquæ malitiam secum habet, ideo Hypp. in hoc libro primum de his tribus agere videtur de reliquis autem quæ in secunda illa inscriptione continentur non primo, sed vt cœlum, & locum mutant variantque, Gale. autem, vt ipsemet sexcentis in locis asserit modus loquendi clarus, & manifestus maxime placuit quamobrem omnia semper fuse lateque, & copiose dicit, prima igitur inscriptio quam nos probamus, & quæ tunc publice ferebatur fortasse ei breuior visa est, quam opus esset, & ideo sub obscure quare illam tertiam inscriptionem inuenit, quæ cum longior, & latior sit prima, magis clara, & manifesta illi visa est. Cum autem medicina in quinque partes diuidi possit è quibus vna est, quę sanitatem tuetur, secunda vero est illa, quæ futuris morbis occurrit, tertia autem est, ea quæ morbos qui iam homines occuparunt curare docet, quarta vero quomodo mala, quæ morbis accedunt lenire possimus nobis demonstrat, quinta autem notas explicat quib. præsagire valeamus, qui morbi in quacunque regione, & ætate, ac quocunque anni tempore hominib. instent, quique anni salubres, vel pestilentes futuri sint & an morbus, qui aliquem hominem inuasit longus, vel breuis salubris, aut lęthalis sit, & an pueri, qui nascuntur sani, vel aliqua corporis parte imbecilles futuri, ac longam, vel breuem vitam ducturi sint, hic liber ad omnes has medicinæ partes pertinere videtur, nam cum ex eo discamus varias cœli tempestates, varia aquarum genera, & vires cognoscere facile præsagire poterimus, quæ nam ex his sanitati tuendæ idoneę sint, & quænam ex illis morbos, & quos morbos facere possint, preterea diuersis curationem generibus in diuersis cœli tempestatib. & regionibus vti oportet, & alia ratione instantib. morbis occurrere debemus in alia, atque alia cœli tempe-

ſtate

ſtate, & regione, ac alio pacto ſymptomata lenienda ſunt in frigida regione, & in frigido anni tempore, quam in calidis, quę omnia ſi pręſtare voluerimus, vt bonum medicum decet, neceſſe eſt, vt prius ſciamus ea quæ in hoc libro ab Hypp. tractantur. Quamobrem non videtur probanda eorum ſententia, qui licet prudentes docti, & accurati viri alioquin ſint tamen aſſerunt librum hunc redigi debere ad eam medicinæ partem, quæ à Græcis σημειωτικὴ appellatur in qua de ſignis agitur, nam in hoc libro nulla methodus, nulla doctrina de ſignis traditur, ſed tantum docet nos Hypp. in hoc volumine qua nam ratione aquarum, & aeris vires, & diuerſitates cognoſcere valeamus, at ſi ob id ipſum liber hic ad eam medicinæ partem redigi debet ad eandem quoq; redigendi erunt libri de locis affectis, de febribus, de cauſis morborum, & de cauſis ſympt. quod in illis docet nos Hyppocrates quomodo febres, & interiorum corporis partium affectus eorumq; cauſas ex ſignis cognoſcere poſſimus, quod nullus vnquam dixit. Diuiſionem autem de qua dicendum ſupereſt in capita faciemus quod Hypp. vnum tantum hunc librum de aquis, aere, & locis fecerit quamobrem illum in plures libros diuidere longe ab authoris mente abeſſe videtur, præſertim cum ipſemet Hypp. hanc diuiſionem in capita innuere videatur cum inquit; Quomodo hæc ſe habeant ego dicam, & rurſus cum ait volo autem de Aſia, & de Europa dicere ſi autem dicas hæc verba, & eſſe poſſe principia librorum, & capitum, reſpondemus hos tractatus ita eſſe breues, vt potius capituli, quam libri nomen mereantur, hunc igitur librum in xij. capita diuidemus capita vero in tot. tex. quot natura rei, quæ in eo capite tractatur exigere videbitur vnum tamen lectorem monere volumus ordinem, & numerum capitū varie ferri, quamobrem nos omnem hanc varietatem ſignabimus, & eam quæ melior nobis videbitur eligemus, iudicium deinde liberum lectoribus relinquemus, & hæc dicta ſint de iis quæ ante libri expoſitionem dici ſolent.

Medicinam quicunque recte quærere vult, hæc facere debet, primum annoras animaduertere quid vna quæque earum efficere valet.

Conſueuit Hypp. vno ex his tribus modis libros ſuos inci-

pere,nam vel intentionē ſtatim libri quē ipſe conſcribere vult proponit, aut in principio libri enumerat opiniones quas antiquiores ſe habuerint de ea re de qua ipſe in eo libro ſcripturus eſt,vel ab aliqua ampla, & ſplendida propoſitione librum ſuum incipit, quos modos incipiendi Ariſt. quoque poſtea ſeruauit, hoc autem facile cognoſcet ille,qui principia librorum quos hi authores ſcripſerunt hodieq; ſuperſunt legere voluerit, quamobrem Hypp. hunc librum de Aquis, Aere, & Locis ab hac ampla, & ſplēdida propoſitione incipit,videlicet qui medicinam recte quærere vult hæc facere debet,videlicet anni horas animaduertere, ceterum cum vna & eadem res pluribus modis conſiderari, & ideo à pluribus artificibus tractari poſſit, vt magnitudo eſt, quæ à philoſopho naturali tractatur vt terminus corporis naturalis, & à primo philoſopho, vt ens quoddam vt aiunt, & a geometra, vt abſtracta eſt à materia, ideo Hypp. qui horas anni conſiderare vult vt medicus, inquit oportere medicum ſcire vim horarum anni quam habent immutandi humana corpora, quare ipſe de earum temperamentis agit, quoniam propter temperamentum quod hæ horæ diuerſum habent, variant & immutant hominum corpora, nec video Hypp. vſquam in hoc libro reſoluendi rationem aut doctrinam tenere,vt iunior quidam vir ſanè doctus,& accuratus in commentariis ſuis quæ in hunc Hypp. librum ædidit, opinari videtur, nam reſoluendi doctrina incipit à compoſitis,& illa in cauſas, & principia ſua reſoluit, veluti hominem in carnes, & oſſa hæc autem in humores,hos vero in quatuor elementa,& hæc tandem in materiam,& formam, & hæc doctrina vtilis immo neceſſaria eſt ad aliquam artē inueniendam,& ante demonſtrationem,quamobrem à quibuſdam appellatur doctrina declarans, & in hanc ſignificationem accepit hoc verbum reſoluo Virgilius VI. Æneidos cum dixit Dedalus ipſe dolos tecti ambageſque reſoluit,alij autem eadē ratione hoc verbum ἀναλύειν, ſiue reſoluere in hanc ſignificationē accepere, videlicet reducere,vt Ariſt.in Elēchis cum ait, eſt enim oēs modos,qui dicti ſunt reſoluere in Elenchi definitionē, ideſt reducere ad definitionē Elenchi, & eo pacto ipſos cognoſcere, quæ ſignificationes omnes ferè idem ſignificant

videlicet vel resoluendo aliquod compositum in principia sua,vel reducendo illud ad aliquam formam, & definitionem naturam eius demonstrare,sed cum aliqua ars iam inuenta est, ad eam docendam, & tradendam non amplius opus est doctri na resoluendi, sed potius componendi, quare Gal. cum voluit artem medicam docere, quæ iam per doctrinam resoluen di inuenta erat,eam per doctrinam componendi tradit, & inci pit ab elementis, & ab his procedit ad temperamenta deinde progreditur ad facultates naturales postea vero ad libros ana tomicos, & sic semper à simplicioribus procedit ad composi-ta,id quod etiam Arist.fecit cum naturalem philosophiam do cere voluit, primo enim incepit à principiis omnium rerum naturalium, videlicet à materia, forma, & priuatione veluti à simplicissimis omnium rerum naturalium ab illisque acciden tibus quæ omnibus communia sunt & hæc principia immediate sequitur, & deinde procedit ad composita, & cum hæc docet semper quoque à simplicioribus incipit, vt sunt corpora cœlestia, & deinde ad ea quæ magis composita sunt progreditur, cum igitur Hypp. in hoc libro doctrinam aquarum locorum & aeris nobis tradere velit, quoniam corpora nostra immutant & morbos faciunt, à simplicioribus incipit, & ait opus esse medico nouisse situm locorum,aquarum qualitates,& victum hominum,qui in regionibus habitant, vt his cognitis effectus eorum cognoscere, ac prædicere valeamus, qui cum ab his rebus quas diximus fiant sunt veluti earum finis, & ideo magis compositi quam ipse sint quare Hypp. doctrina componendi vtitur non autem resoluendi, & inquit oportere medicum scire horarum anni naturam, & vim. Quamobrem animaduertere oportet in codice græco ita scri ptum esse τὰς ὥρας τοῦ ἔτεος, quæ verba nos ideo intepretati sumus anni horas quoniam hæc vox ὥρα græcis multipliciter dicitur, significat enim interdum pulchritudinem quare Iuppiter à poetis ὡραῖος dicitur ab ὥρα, quæ vt dixi pulchritudinē significat,nam pulchritudo est cum vnicuiq; parti ineſt quod ei opportunum & tempestiuum est, id quod à græcis ὡραῖον appellatur,vt videre poterit quicunque octauum Aphor.tertij secti legerit, vbi Hypp. dicit ἦν ὡραῖος τὰ ὡραῖα ἀποδιδωσι, &

quæ ſequuntur, ſignificat præterea hoc nomen ὥρα curam, & animaduerſionẽ, quare hęc vox ὡραιόντων, quę in Hypp. libris aliquando legitur, à Gal. in libello illo, qui inſcribitur expoſitio linguarũ Hypp. exponitur animaduertentiũ & curantiũ, quoniam ὥρα vt ipſe ibi dicit φροντίς, ideſt cura interpręta tur. Pręterea ſignificat hęc eadem vox quattuor anni tẽpora, ver ſcilicet æſtatẽ, autumnũ, & hyemẽ, & eorũ tẽpeſtates quas græci etiam κατασάσας appellãt, vt ex primo xj. & xv. Aphoriſmis tertij ſecti cognoſcere licet ſignificat vltimo hæc vox ὥρα eã anni partem in qua omnes fructus quos græci ὡραίους latini autem horarios, vel fugaces vocant è quibus nonnulli incipiunt quidam vero deſinunt alij autem in ſuo vigore, vel vltra illũ conſiſtunt, vt Gal. ſecundo de alimẽtis cap. 2. affirmat. Nos igitur, vt anni tempora, & eorũ tempeſtates hac vna voce ſignificaremus τὰς ὥρας τοῦ ἔτεος anni horas expoſuimus, pręſertim cum Plinius 35. cap. noni libri hyſt. naturalis, vbi de origine, & genitura concharum loquitur ita dicat, vbi genitalis anni ſimulauerit hora pandentes ſeſe quadam oſcitatione impleri roſcida conceptu tradunt. Ex iis igitur ſignificationibus huius vocis horæ, nos ſolum tres explicabimus, è quib. vna ea eſt qua quattuor anni tempora ſignificantur, videlicet ver, æſtas, autumnus, & hyems, altera qua eas anni partes quas medici horam, & oporam appellant ſignificantur. Tertia vero erit ea qua nos caniculares dies appellamus, primo igitur de quattuor anni tẽporibus dicemus vnicuiuſque eorum tẽperaturã, & quãdo incipiant, & deſinant, & quot dies vnum quodque eorum habeat. De principio igitur horum quattuor temporum anni plures fuere ſententiæ, & eæ quidem inter ſe longe diuerſę. M. Varro itaque primo lib. de re ruſtica c. 31. inquit ver incipere cum ſol peruenit ad 23. gradum Aquarij, durare autem quouſque ſol perueniat ad 23. gradum Tauri, tunc. n. incipere ait æſtatẽ, quæ durat, vt ipſe opinatur quouſque ſol ad 23. gradum Leonis perueniat, tunc enim incipit autumnus, qui durat quouſque ſol ad 23. gradum Scorpionis accedat, inde eſt hyems, quæ durat quouſque ſol ad 23. gradum Aquarij rurſus veniat, nam tunc temporis, vt dictum eſt ver incipit. Florentiæ igitur, vbi vertex ſupra finitorem eleuatur

43.gradibus, & duabus tertiis partibus vnius gradus principium veris erit hac ratione Kalen. Feb. finis autem Kal. Maij, Aestas autem incipiet sex. Non. Maij desinet autem 3. Non. Augusti. Autumnus vero, incipiet pridie Non. Augusti finiet autem 3. Non. Nouembris, hyemis vero principium erit pridie Non. Nouem. finiet autem pridie Kalen. Feb. Quamobrem si hanc rationem diuidēdi annum sequamur, ver habebit dies 91. æstas vero dies 94. Autumnus 92. hyems 88. Astrologi autem alia ratione annum diuidunt, nam ipsi imaginantur in cœlo esse quattuor punctos, & cum sol ad vnum ex his punctis peruenit tunc principium vnius temporum anni faciunt. Est igitur vnius ex his punctis quos esse in cœlo Astrologi imaginantur, ille in quo is circulus quem ipsi æquatorē appellant, secat alium circulum, qui ab ipsis colurus dicitur, secundus punctus est ille ad quem cùm sol peruenit, maxime distat ab æquatore septentrionem versus, Tertius vero est ille in quo rursus æquator ex altera parte colurum secat, at quartus ille est ad quē cum sol venit rursus maxime distat ab æquatore versus meridiem. Cum igitur sol ad primum illum punctum peruenerit fit æquinoctium in vniuersa terra, & est principium veris, cum autē sol accesserit ad secūdum punctum fit æstas in tota plaga septentrionali, quia hic est ille pūctus, qui maxime distat ab æquatore versus borealem polum, cum vero sol attigerit punctum illum, vbi rursus æquator colurum secat tunc vbique terrarum fit æquinoctium, & est principium autumni, at cum sol peruenerit ad punctum illum, qui maxime distat ab æquatore meridiem versus tunc erit bruma, qui dies principium hyemis est in tota plaga boreali, si igitur hanc rationem diuidendi annum probauerimus, ver incipiet 5. Id. Mart. & habebit dies 93. Aestas vero incipiet pridie Id. Iunij & habebit dies 94. Cœterum Autumnus incipiet Id. Septēb. & habebit dies 89. Hyemis vero principium erit 3. Id. Decembris, & habebit dies 89. si annus fuerit communis, si vero biseextilis dies 90. & hanc rationē diuidendi annum videntur probare Hypp. & Gal. 3. secto Aphor. in commentario Aphoris. 14. & in commentario primo in primum lib. de morbis vulgaribus in commentario tex. primi, & in commentario secundo

in primum lib.de morbis vulgaribus in cõmentario tex.pr. & in com.2.in primũ librũ de morbis vulgaribus tex. 5. ſed alia cauſa lõge diuerſa ab ea propter quã Aſtronomi ita annũ diuidũt vt paulò poſt dicemus. Medici aũt ver incipere 5.Id.Martias,vt Aſtrologi dicunt ęſtatẽ vero incipere cũ Vergiliæ mundano ortu oriuntur,Autumnũ vero incipiunt cũ Arcturus mũdano ortu oritur, hyemis vero principiũ eſſe affirmant cũ Vergiliæ mundano occaſu occidunt,ſed animaduertendũ eſt hũc Vergiliarũ mũdanum occaſum ita intelligi debere, ſcilicet vt Vergilię mũdano occaſu occidant mane cũ ſol in ſigno oritur qui opponitur ſigno illi in quo Vergiliæ ſunt,& hãc rationẽ diuidendi annũ ideo videtur magis probare Gal. locis quos ſuperius citaui, quoniã medici cõſiderant anni tẽpora, quæ ſuis qualitatibus primis corpora animantiũ mutãt, verũ quia cum hæ ſtellæ oriuntur aut occidũt magna fit mutatio frigidi in calidũ, ideo medici principiũ æſtatis faciunt ſub ortu mundano Vergiliarũ,eadẽ cauſa,quia cum Arcturus oritur fit maior mutatio calidi in frigidum,quam ſub æquinoctio autumni, ideo principium autumni eſſe dicunt ſub ortu Arcturi, at vero quia cum Vergiliæ occidũt maior adhuc mutatio fit calidi in frigidum quam in bruma,ideo illum occaſum medici principium hyemis faciunt, ſunt autem Vergiliæ ſeptem ſtellę, quæ ſunt inter finem Tauri, & caudam Arietis, vt Plinius ſecundo lib.naturalis hyſtoriæ cap.41. & Iginius in lib.de formis cœleſtibus affirmant, & dictæ ſunt à latinis Vergiliæ,à vere quoniã cum ſtellæ illę mundane oriuntur ver deſinit,à græcis vero dictæ ſunt Pleiades ἀπο τοῦ πλεῖν, quæ vox nauigare ſignificat, quoniam ſub mundano ortu harum ſtellarum videtur eſſe tẽpus commodum ad nauigandum. Cęterum Arcturus eſt ſtella quædam, quæ in Zona arctophilacis ſiue Bootes eſt longe clarior cęteris ſtellis quę eam imaginem effingunt,vt in eo loco cuius teſtimonio ſuperius vſus ſum Iginius affirmat, at iuniores ſuis longis, & diligentiſſimis obſeruationibus inuenerunt eam eſſe in extrema parte veſtis ipſius Bootes verſus meridiem propè femur illius, eſt ergo Florentiæ hoc anno 1581. vernum æquinoctium ſex. Id. Mart. oriuntur autem Vergiliæ mundano ortu hoc eodem anno ſex. kalen. Maias, & tunc eſt prin-

principium æstatis, sicuti vernum æquinoctium fuit principium veris, quamobrem ver 47. dies habebit, Arcturus autem oritur mundano ortu 13. kalen. Octobris, & tunc incipiet autumnus, videlicet post æquinoctium autumnalem dieb. 7. & ita æstas habebit 146. dies, Pleiades vero siue Vergiliæ occidunt mundano occasu eo modo quo superius diximus 3. Id. Nouembris, & est principium hyemis, videlicet ante brumam diebus 30. & ita Autumnus habebit dies 53. hyems vero dies 119. quæ summę si colligantur 365. dies conficiunt quot dies annus solaris habet, & præterea 6. horas ferè. His visis modo rationē reddere debemus quare tot modis, & illis quidem inter se longe diuersis annus diuidatur dicimusque hoc ideo fieri quoniam plures artifices anni diuisionem diuersis causis faciunt. M. Varro itaque veluti superius dixi annum, vt Agricola diuidit, & ideo veris principiū facit kalen. Feb. quoniam eo tempore plantę ferè omnes florere, & surculos emittere incipiunt, & multa opera rustica, quæ Vere facere oportet, vt sationes quorundam leguminum tunc fieri incipiunt, sex. autem Non. Maij æstatem incipere dixit quoniam tunc messis incipit, multis enim in locis coloni hordeum mēse Maio metere, & ea opera ruris, quę æstate facere opus est tunc facere incipiunt, Pridie autem Non. Augusti autumnum incipere affirmauit quoniam tūc omnes fructus quos fugaces latini appellant ferè maturi sunt, vt paulo post dicemus, & vindemia instat, hyemis vero principium fecit pridie Non. Nouēb. quia eo tempore omnia genera fructuum iam reposita sunt, & tempus serendi frumenta adest. Astronomi autem quoniam obseruant accessum, & recessum solis ab æquatore ideo principium veris esse dixerunt vernum æquinoctium quoniā tunc temporis sol est in æquatore, & versus borealem plagam accedit, æstatem vero incipere dixerunt cum sol in Tropico Cancri est, quia tunc sol longissime distat ab æquatore, & propinquior est puncto illi, qui in cęlo recta linea supra caput nostrū est, quem Mauritani Zenit appellant, quam in aliquo alio anni tempore. Autumni autem principium esse dixere cum sol rursus ad æquatorem peruenit, & autumnale æquinoctium facit ad meridionalemq; plagam accedit hyemem vero inchoare

affir-

affirmarunt cum sol ad tropicum Capricorni peruenit, & brumam facit quoniam tunc sol ab æquatore, & à puncto quem paulo superius diximus lõgius distat versus meridiem, quam in aliquo alio anni tempore. Cęterum medici licet hanc anni diuisionem probent tamen quia mutationes temporum cõsiderant, vt caliditate, frigiditate, siccitate, atque humiditate aeris, corpora nostra alterant, ac mutant, ideo aliam rationem diuidẽdi annum magis probant, & vernum æquinoctium principium veris esse dicunt, quoniã frigus tunc maxime decrescere incipit calor vero augeri licet non admodum, at vero quia cum Vergilię mundano ortu oriũtur calor multum augetur, ideo tunc æstatem incipere dixerunt, videlicet ante solstitium æstiuum dieb. 47. Arcturi deinde ortum principium autumni, & finem æstatis fecerunt, videlicet ante æquinoctium autumnale dieb. 12. mundanum vero occasum Vergiliarum hyemis principium, & autumni finem esse dixerunt, videlicet ante brumam dieb. 30. Nec me præterit, me in enumerandis diebus illis quos habẽt hęc quattuor anni tempora longe à Gal. differre, ipse enim in commentario primo in primum lib. de morbis vulgaribus in commentario primi tex. inquit inter Vergiliarum, & Arcturi ortum esse quattuor menses nos vero dicimus inter ortum harum stellarum esse 146. dies, at inter Vergiliarum Occasum, & Vernum æquinoctium Gal. dicit esse plusquam quattuor mẽses nos vero dicimus hoc tempus esse 120. dierum, & ita quatuor mensium. Ver autem ipse affirmat non habere duos integros menses, nos vero dicimus ipsum habere 46. dies tantum, & ita deesse ad hoc vt ver habeat duos integros menses 14. dies, verba autem Gal. videntur innuere, vt pauci dies desint ad hoc vt ver habeat duos solidos menses, at 14. dies non sunt pauci si considerentur, vt pars duorum mensium. Tempus autem autumni Gal. ait esse maius tempore Veris, quoniam extenditur vsque ad duos menses, nos vero dicimus tempus autumni esse 53. dierum, nec mirum si supputatio nostra non conuenit cum supputatione Gal. nam Gal. supputationem suã facit in pararello Helesponti, vt Gal. ipse affirmat in cõmentario primo in primum lib. de morbis vulgarib. in expositione tex. primi, nos autem facimus supputationem

nostram

noſtram in pararello Romæ, præterea poſt Gal. cognitus eſt motus ille ſecundum ſucceſſionem ſignorum, qui tempore Gal. ignorabatur. Scio etiam Gal. loco quem nouiſſime citaui aliam anni diuiſionem narrare quam etiam probat, qua annus in 7. partes diuiditur, videlicet in ver,& æſtatem quam in duas partes diuidit, in autumnum, & in hyemem quam in tres partes diuidit, at quia magnæ mutationes aeris, quo ad primas quattuor qualitates fiunt iuxta diuiſionem anni in quattuor partes, ideo nos hãc anni diuiſionem in quattuor tempora vnà cum Gal. magis probauimus, nam quamuis æſtatem in duas partes diuidamus, calidum frigidum, & ſiccum humidum ſemper ſuperabit, itidem ſi hyemem in tres partes diuidamus, frigidum calidum,& humidum ſiccum ſemper excedet. His viſis modo ad temperamentum harum horarum veniam, è quibus æſtatis temperaturam calidam & ſiccam eſſe ſenſu comprehenditur, & ideo talem eſſe æſtatis temperaturam omnes autumant, quemadmodũ etiam hyemis temperamentum frigidum eſſe, & humidum eadem cauſa omnes dicunt. Cęterum de temperatura veris, & autumni diuerſis cauſis à multis dubitatur, prius ergo de veris temperamento dicam. Antiqui igitur, vt Gal. primo de temperamentis refert, ver eſſe calidum, & humidum dixere hac ratione ducti, quoniam combinationes primarum qualitatum, quæ fieri poſſunt cum quattuor anni tẽporibus componere volebãt, quam obrem ver calidum,& humidum, æſtatem calidam, & ſiccam, autumnum frigidum,& ſiccum, hyemem vero frigidam,& humidam eſſe dixerunt, præterea dicebant ſi ver cum æſtate conferamus eſt humidum ſi cum hyeme eſt calidum ergo ver eſt calidum & humidum, alia quoque ratione Athęnei Attalenſis ſectatores hoc idem probare conabantur, dicunt enim cadauera frigore rigent, & ad ſiccitatem maximam rediguntur, cũ igitur mors ſit affectus quidam frigidus & ſiccus, vita quæ illi contraria eſt, erit affectus calidus & humidus, quamobrem tempus illud anni quod vitæ ſimillimum eſt, & ideo illi ſaluberrimum (id autem eſt ver) erit calidum & humidũ,& in hanc antiquorum ſententiam ire videntur Hypp. primo de natura humana Ariſt. quoq; quarta ſectione problematũ probl. 31.&

Theo-

Theophraſtus primo de cauſis plantarum cap. 14. & Aui.lib.1. Fen ſecundæ doctrinæ ſecundæ, cap.6. quam tamen Gale.primo lib. de temperamenti his rationib. reprobare conatur inquit enim non eſſe opus quattuor combinationes primarum qualitatum cum quatuor anni temporibus componere, ſed longe melius eſſe ver ipſum temperatum appellare quam calidum & humidum,quoniam calidum,frigidum,ſiccum & humidum aliquid dicimus cum ipſum temperato comparamus, nam temperatũ eſt regula & norma quędam qua cætera temperamenta cognoſcuntur & calida vel frigida, aut ſicca, aut humida dicuntur, quamobrem ſatius eſt calidam & humidam temperaturam ommittere quam tẽperatam & præſertim quia ſi ver eſſet calidum & humidum non eſſet ſaluberrimum, vt Hypp.3.Aphoriſ.nouo Aphoriſ.affirmat, ſed morboſiſſimum, vt Hypp. 2. de morbis vulgaribus in principio libri oſtendit cum dicit In cranone carbunculi, pluebat quotidie per æſtum largo imbri, ſi quis vero diceret hoc temperamentum veris quod Gal.temperatum appellat illud idem eſſe quod antiqui calidum & humidum dicebant quoniam in ea temperatura calidum frigidum & humidũ ſiccum parum excedit Gal. hanc ſententiam impugnans inquit ſi temperamentum temperatum eſt illud in quo calidum frigidum & humidum ſiccum parum excedit adhuc ommiſſa erit temperatura illa,quæ frigidæ & ſiccæ opponitur,& ita compoſitio illa combinationum quatuor primarum qualitatũ cum quatuor anni temporibus fieri non poterit.Prẹterea ratio illa qua antiqui probare nituntur ver eſſe calidum & humidum quoniam ſi conferamus ipſum cum hyeme calidum eſt cum ęſtate vero conlatum eſt humidum nulla eſſe videtur nam eadẽ ratione ver eſſe frigidum & ſiccum dici poterit quoniam ſi comparetur hyemi eſt ſiccum ſi vero ęſtati eſt frigidũ, ſi autem cum Ambab.qualitatibus hyemis & æſtatis ambas qualitates veris conferre voluerit,ver calidum, humidum, frigidum, & ſiccum erit quod nullus vmquam dixit,fieri enim non poteſt, vt aliquid corpus omnes has qualitates contrarias ſummas habeat quare neque ver,neque aliquid aliud anni tempus conſiderare oportet conferendo ipſum cum aliis anni temporibus, ſed eius naturam

per ſe

per se examinare id quod si fecerimus ver temperatum appel labimus quoniã omnes has qualitates ęquales habet & velu ti in æquilibrio omnium qualitatum, & temporum positum est, vt Gal. in cõmentario primo in primũ lib. de morbis vulgaribus in commẽtario in primum tex. illius libri affirmat quam sententiam etiam probare videtur Auic. lib. primo Fen secundę doctrinæ secundę cap. 3. Nos autem dicimus ver esse calidum & humidum, vt antiqui dicebant quoniam calidum & humidum in eo parum excedũt frigidum & siccum & si ipsius propriam naturam consideremus, & si illud etiam cum aliis tribus anni temporibus conferamus præsertim cum autumno id quod nos affirmamus, & antiquorum & aliis quoque rationibus adducti, nam in vere sanguine abũdamus, vt Gal. in commentario suo in primum lib. Hypp. de natura humana in expositione tex. 33. eius libri affirmat sanguis autem est calidus & humidus & ideo eo anni tempore plurimus gignitur quod illi simillimum est quare ver est calidum & humidum, sanguinem autem calidum & humidum esse sensu deprehenditur, & Gal. ipse secundo de temperamentis cap. 2. autumat, nec solum actu sanguinem esse calidum & humidum, sed potentia quoque Gal. 2. de naturalibus facultatibus cap. 9. affirmat. Ratio quoque illa antiquorum quæ sumitur à contrarietate, quę inter vitã & mortem est optima videtur nec illi Gal. respondet. Cæterum quia non solum sententiam suam comprobare verum etiam rationibus, quæ contrarium probare videntur respondere oportet ideo Gal. rationibus respondendo dico primum illud exacte temperatum in quo calidum frigido & humidum sicco æqualia sunt non inueniri, vt bene Auer. 2. de ortu, & obitu commentario 48. & primo cœli commentario 7. & 10. Met. commentario 23. & 2. colliget, cap. 1. & 22. probat Prętera si quando hoc temperamentum in aere fieri posset radij solis reflexi a terra, qui in vere satis valide reflectũtur vapores que & exhalationes, quæ à terra eleuantur aerem calidiorem & humidiorem facerent quam temperata res sit, & temperamentum temperatum. Cum vero Gal. dicit si ver est calidum & humidum ita vt in eo calidum parum frigidum excedat & humidum siccum ideoq; temperatum dicitur iam di-

ſtributio illa quatuor combinationum primarum qualitatum in quatuor anni tempora non fiet, nam deerit illa temperatura in qua multo plus calidi eſt quam frigidi & humidi quam ſicci & ideo frigidę & ſiccæ temperaturæ opponitur reſpondemus illud temperamẽtum in quo calidum frigidum parum excedit & humidum ſiccum eſſe illud idem quod nos temperatum dicimus, & frigido & ſicco temperamento opponitur & ſaluberrimum eſt, nam illud temperamentum in quo calidum frigidum & humidum ſiccum multum ſuperant morboſiſſimũ eſt & de eo loquitur Hypp. ſecundo de morbis vulgaribus in principio libri, vt verba ipſius indicant, inquit enim pluebat quotidie per æſtum largo imbri. At cum Gal. ait ſi naturam veris conſiderare debemus conferendo ipſam cum hyeme & æſtate, ver frigidum & ſiccũ dici poterit nam ſi conferamus ipſum cum æſtate frigidum eſt ſi vero cum hyeme eſt ſiccum, dicimus ſi ver conſideretur conferendo ipſum cum hyeme & æſtate ipſum etiam calidũ & humidum eſſe quoniam ſi comparauerimus illud æſtati non erit frigidum, ſed minus calidum quam æſtas nam caliditas ipſius ſentitur & eſt in latitudine caliditatis, nec ad frigidum peruenit, ſi vero ipſum cum hyeme conferamus non erit ſiccum ſed minus humidum quã hyems nam in eo ſunt adhuc reliquię humiditatis quam hyems in aere impreſſit, quæ ſenſu comprehẽduntur, ſi autem ver ideo temperatum appellare velimus quoniam operationes calidi innati vere melius fiunt quã aliis anni tẽporibus, vt Auer. 2. colliget cap. 1. & 22. affirmat hoc dicere poſſumus id quod etiam Gal. ipſe in commentario primo in lib. de natura humana in commentario in tex. *36.* innuere videtur cum ait ſatius eſſe ver & ſanguinem temperatum appellare quam calidum & humidum quaſi parui referat illa temperata quam calida & humida dicere dummodo non intelligamus cum temperatum dicimus temperamentum illud in quo calidum frigido & humidum ſicco æqualia ſunt tale enim temperamentũ nullo pacto eſt. Aeſtatem autem & hyemem, hanc frigidam & humidam illam vero calidam & ſiccam eſſe nulli dubium eſt hyemem enim pluuiæ multæ, & noctium longitudo frigidam & humidam reddunt, quę ideo fiunt quoniã ſol à nobis eo tempore

pore maxime recedit, æstatem vero contrariæ causæ calidam & siccam faciunt nam tota hæc regio quæ infra orbem lunæ est a corporibus cœlestibus regitur & gubernatur, & ideo corpora cęlestia statim supra ipsam sunt & illam ambiunt vt bene Arist. in principio primi libri Metheorologicorum dicit. Autumnum autem frigidum & siccum esse Gal. primo de temperamentis, & commentario primo in primũ lib. Hypp. de morbis vulgaribus affirmat nam in autumno noctes satis longæ sunt & mane & sero aer frigidus est, licet in meridie sit calidus quamobrem frigiditas caliditatem & siccitas humiditatem superat, adhuc enim in aere remanet siccitas illa quã in eo æstas impressit. Sed de hac sententia iure aliquis dubitaret nam cum sol in autumno à nobis distet quantum distat in vere videtur autumnus esse debere eiusdem temperamenti cuius est ver & saluberrimus & operationes calidi innati videntur esse debere optimæ & validissimæ sicut in vere sunt, Cęterum sensu contrarium comprehenditur nam in eo difficiliores, & periculosiores morbi sunt & calidi innati operationes debiliores sunt quam in aliquo alio anni tempore. Auer. igitur libro quem paulo supra citaui inquit operationes calidi innati ideo in autumno debiliores esse quam in aliquo alio anni tempore quoniam autumnus recipit calidum innatum labefactatum à vehementi calore æstatis, & ideo actiones suas debiliter ædit, hoc quod Auer. dicit certe verum est cęterum nõ reddit rationem cur autumnus frigidus sit & siccus, cum sol à nobis eo tẽpore æque distet, ac vere distabat, dicimus itaque hoc ideo fieri quoniam cum sol est in æquinoctio verno æque distat à nobis ac distet cum est in æquinoctio autumni, sed cum discedit ab æquinoctio verno semper ad nos accedit cum vero recedit ab æquinoctio autumni semper à nobis elongatur quare sicuti sol & cæteræ stellæ cum versus meridiem mouentur validiores sunt quam cum à meridie ad occidentem tendunt ita sol cũ ab æquinoctio verno recedit continuo vsque ad Tropicum Canchri vires acquirit cum autem recedit ab æquinoctio autumni continuo vsque ad Tropicum Capricorni vires amittit, & ideo autumnus frigidus sit, præterea vere adhuc remanent in aere reliquiæ humiditatis quas hyems in aere im-

pressit

preſſit & ideo calor qui in humido temperato fundatur melius actiones ſuas ædit tempore veris quam in autumno. At cur aer in autumno mane & ſero frigidus in meridie vero calidus eſt reſpondemus hoc ideo fieri quoniam aerem tenuiſſimum fecit vehemens calor æſtatis,& ideo facile recipit, ac relinquit quamcũque impreſſionẽ quæ in eo quomodocumque fiat quare mane frigidus quoniã nox in eo frigiditatẽ impreſſit quã deinde in meridie ſol calore ſuo aufert quoniã in meridie calor ſolis vehemẽtior eſt quam mane & ſero & ideo non ſolũ mane verum etiã ſero aer in autumno frigidus eſt quoniã retinere non poteſt caliditatẽ,quam in eo ſol impreſſit niſi calore ſolis vehementiori quam ſero ſit foueatur, quamobrem tota nocte & frigiditas augetur ideoque mane ſatis vehemens eſt. Verum ad hoc iure dubitaret aliquis quoniam hac ratione ver non videtur poſſe dici calidum & humidum, ſed frigidum & humidũ nam vere noctes ita longæ ſunt ſicuti Autumno quare vidẽtur poſſe imprimere in aere frigiditatem ſicuti autumno imprimunt præſertim cum tempore veris adhuc in aere ſint reliquię frigiditatis quas hyems in eo impreſſit. Reſpondendum eſt huic quæſtioni non eſſe parem rationem veris & autumni nam in autumno ſol continuo à nobis recedit, & ideo vires ammittit vere autem continuo ad nos accedit & ideo vires acquirit quare temperare poteſt frigiditatem illam quam hyems & nox in aere impreſſerũt & quia craſſior eſt aer vere quam autumno ideo retinere poteſt teporem illum quẽ ſol in eo impreſſit at in autumno ea ratione quam diximus nõ poteſt temperare aeris frigiditatem niſi in meridie cum ipſe validior eſt quam in aliis diei partibus quam temperaturã deinde aer propter ſui tenuitatem diu retinere non poteſt, ſed eam cito ammittit quare ſero rurſus frigidus fit,præterea etiã calor & frigus aeris in autumno propter aeris tenuitatem magis penetrant quam caliditas & frigiditas veris, & ideo magis ſentiuntur quam in vere præſertim cum ſiccitas, vt iuniores aiunt ſit lima caloris humiditas autem caloris vim obtundat, & hęc de quatuor anni tẽporibus dicta ſint. His viſis de tribus aliis horæ ſignificationibus dicam, videlicet, de hora de diebus canicularibus, & de opora, & primo de ea parte anni dicã

quam

quam græci proprie horam appellant, quæ est illa in cuius medio canicula oritur, quæ ideo hora vocatur quoniã omnes fructus quos græci ὠρϕαύς latini autẽ fugaces dicunt, vel matureſcunt vel iã exacte maturati ſunt vel vltra exactã maturationẽ ſunt conſtituti, fugaces vero vel horarij ideo dicuntur vt diſtinguantur à fructibus illis qui cum collecti ſunt reponũtur, & in hyemem ſeruantur, vt triticum, hordeum, panicum & alij huiuſcemodi qui cum exiccati ſunt naturam non mutant, ſed eodem modo ſe habent, ac ſe habebant cum in æſtate colligebantur, fugaces verò fructus cum exiccati ſunt in contrariam naturam mutantur vt perſica, pruna, & alia, durat autem hæc anni pars 40. diebus, & in eius medio canis oritur, vt Gal. 2. de alimentis c. 2. affirmat. Cęterum idem Gal. in documento pro puero epileptico dicit caniculares dies 40. eſſe, videlicet 20. dies ante mundanum ortum caniculæ, & 20. dies poſt ortum eiuſdem ſtellæ, quare manifeſtum eſt eam anni partem quæ hora dicitur & dies caniculares vnum & idem eſſe, ſiquidem dies caniculares 40. diebus durant 20. ante mundanum ortum caniculæ, & 20. poſt ortum ipſius, hora autem 40. diebus durat & in medio illius canicula mundane oritur, dicuntur autem dies caniculares 20. illi dies ante ortum canis, & 20. poſt ortũ ipſius quoniam eo tempore hæc ſtella ita ſoli propinqua eſt, vt calor radiorum ipſius ab hac ſtella augeatur, ſed ante 20. dies ita longe eſt à ſole, vt radij ipſius ab hac ſtella infici non poſſint, itidem cum tranſierint 20. dies ab ortu ipſius ita à ſole elongata eſt, vt caliditas ipſius ab ea augeri non poſſit, quare Hypp. quarto ſecto Aphoriſ. Aphoriſ. 5. dicebat ſub canẽ & ante canẽ difficiles ſunt purgationes quia non ſolum ſub canem ſunt maximi æſtus, ſed etiam ante canem, poſt canem autem. i. tranſactis 20. diebus ab ortu canis minuuntur æſtus ea cauſa quam diximus & ideo non ſunt purgationes ita difficiles ſicuti ſunt ante canem, & ſub canem. De opora autem dicimus hanc vocem græcis duo ſignificare, videlicet fructus omnes fugaces de quibus ſuperius diximus, vt Ariſt. 22. ſectione probl. probl. primo & Alex. Trallianus lib. 7. affirmant, Gal. autem in lib. de cibis boni & mali ſucci opora ſignificat proprie è fructibus ſolum vuam & ficus. Significat ſecũdo eam anni par-

ARENEU VENETO VENEZIA

tem quæ opora appellatur & incipit cum canis mundane oritur, vt Gal. ait in commentario primo in primum lib. Hypp. de morbis vulgaribus in expoſitione tex. primi, & in tertia ſectione Aphoriſ. in expoſitione 14. Aphor. durat autem vſque ad ortum arcturi cuius ſtellæ ortus eſt principium autumni, vt ſuperius diximus, cum igitur hæ duæ anni partes, videlicet hora & dies caniculares quę duo vnum & idem ſunt, vt paulo ſupra demonſtrauimus, & opora ab ortu canis & arcturi ſumantur de hac imagine cęleſti quæ canis appellatur aliquid dicendum videtur, ſunt igitur duæ cœleſtes imagines quæ canis dicũtur, canis maior & canis minor, è quibus minor ex tribus ſtellis componitur & anticanis appellatur quia ante maiorem canem oritur quod ſydus ex 19. ſtellis fit & habet in lingua ſtellam vnam quæ nomine totius ſyderis canis dicitur, alteram vero in capite quæ ſtella ſyria appellatur, vt Hyginius in lib. de deſcriptionibus formarum cœleſtium affirmat. At Gal. in primo commentario ſuo in primum lib. Hypp. de morbis vulgaribus in expoſitione tex. primi inquit ſtellam ſyriam quæ a quibuſdã nomine totius ſyderis appellatur, eſſe in mandibula maioris canis & recte anticanem dici poſſe quod ſit in anteriore parte canis, quare ſententia Gal. differt à ſententia Hyginij quoniam Hyginius dicit ſtellam ſyriam eſſe in capite maioris canis, Gal. vero ait eam eſſe in mandibula maioris canis & appellari, anticanem, Hyginius autem dicit minorem canem anticanem appellari, præterea Hyginius inquit ſtellam quam canis maior habet in lingua nomine totius ſyderis canem dici, ſed Gal. affirmat ſtellam ſyriam canem appellari ab iis qui nomine cœleſtis canis abutuntur. Ex his duabus ſententiis nos Gal. ſententiam probamus nam ea diligentiſſimis iuniorum obſeruationibus magis reſpondet & dicemus ſtellam ſyriam in mandibula maioris canis eſſe & canem & anticanem appellari, quibus viſis dicendum eſt quando ſtella ſyria oriatur, Florentiæ igitur quæ 43. graduum & duarum tertiarum partiũ vnius gradus latitudinẽ habet, hoc anno 1580. à Ieſu Chriſti conceptu ſtella ſyria mundano ortu oritur 18. kalen. Auguſti, quamobrem anni hora & dies caniculares quæ duo vnum & idem ſunt incipiunt 6. Kalen. Iulij, & durant

vſque

vsque ad pridie nonas Augusti quare dies caniculares, & anni hora quę duo vnum & idem sunt vt supra diximus 40. diebus durant, vt Gal. iis in locis quorum testimonio superius vsus sum manifeste dicit, opora autem incipit 18. kalen. Augusti & durat vsque ad 14. Kalen. Octobris, tunc enim Arcturus mundane oritur, habetq; opora dies 59. Sed de his quę nos diximus dubitabit aliquis quoniam nos affirmauimus Arcturum oriri 14. kalen. Octobris, quamobrem post æquinoctium autumnale 6. dieb. Gal. autem primo commentario in primum lib. Hypp. de morbis vulgaribus in expositione primi tex. dicit ortum Arcturi antecedere æquinoctiũ autumnale 12. dieb. & si hoc modo tempus oporæ supputauerimus, ea tãtum dies 48. habebit, dicimus hoc ideo fieri quia Gal. tempore æquinoctium autumnale tardius erat quam nunc est & ideo ortus arcturi antecedebat æquinoctium autumnale 12. diebus, vt Gal. affirmat eo in loco cuius testimonio paulo supra vsus sũ, nunc autem cum æquinoctium autumnale citius fiẽ quam esset tempore Gal. ideo ortus Arcturi est post æquinoctium autumnale 6. dieb. vti dictum est, adeo vt principium oporæ sit 17. kalen. Augusti, ortus vero Arcturi sit 14. kalen. Octobris, hoc autem ideo euenit quoniam nos facimus annum 365. dierum & sex horarum ille autem est 365. dierum 5. horarum & cuiusdã partis vnius horæ non autem integræ horæ, quia ergo singulis annis sol cursum suum citius perficit quam sex horis ideo æquinoctia, & solstitia nunc citius sunt quam essent tempore Gal. hęc itaq; est causa quare ortus Arcturi tempore Gal. antecedebat æquinoctium autumnale, nũc autem ipsum sequitur, & licet paulo ante Gal. tempora inuentus fuerit motus secundum signorum successionem, videlicet ab occidente in orientem rursus in occidentem quamobrem ortus Arcturi citius oritur nunc quam Gal. tẽpore tamen hic motus est adeo tardus, mouetur enim centum annis gradu vno, vt non potuerit efficere quin Arcturi ortus nunc non sit post æquinoctium autumnale. At Paulus Aegineta lib. 7. in cap. illo in quo docet componere antidotum illam quę podagrica dicitur, inquit cũ ea antidoto vti voluerimus opus esse cauere dies caniculares qui incipiũt octauo kalen. Iulij; durant autem vsque ad totum

Augustum completum qua ratione dies caniculares essẽt 68. Aetius vero qui tempore magni Constantini vixit lib. 3. cap. 164. ait Canem oriri 14. Kalẽn. Augusti durare autem dies caniculares vsque ad 5. kalen. Septemb. cum vindemiator mane oritur & malus nauis occidit, est autẽ vindemiator stella quędam quæ in dextera virginis penna est, quę Ptolemęo & Hyginio præuindemiatrix dicitur, nauis autem est sydus quoddam versus meridiem situm quod ex 23. stellis componitur cuius malum quatuor stellę conficiunt, vt Hyginius in lib. de descriptionibus formarum cœlestium affirmat, & hac ratione dies caniculares essent etiam 40. Florentiæ autem hoc anno 1580. à Iesu Christi conceptu canis oritur 17. kalẽn. Augusti, vindemiator autem oritur tertio id. Septemb. qua ratione dies caniculares sunt 57. Causę autem huius diuersitatis ortus & occasus harum stellarum, qui nunc Florentiæ fit ab ortu earundem qui tempore Aetij fiebat duæ sunt è quibus vna est diuersitas latitudinis locorum & temporis in quibus ij ortus & occasus considerantur nam Aetius vixit tempore magni Constantini Antiochiæ cuius latitudo longe diuersa est à latitudine Florentiæ, nam Antiochia æquatori vicinior est quam Floren. in locis autẽ æquatori viciniorib. minor est differẽtia ortus & occasus stellarum quam in locis, qui ab æquatore magis distant, quare nil mirum si vindemiator citius oritur mundane Antiochiæ, quã Florentiæ. Altera vero causa est motus ille secundũ successionẽ signorũ de quo superius diximus, nã cũ vindemiator eo motu moueatur, & sol itidẽ, singulis annis vindemiator tardius mundane oritur, & nisi esset tempus illud quo sol citius perficit singulis annis motum suum quam 365. diebus & sex horis adhuc tardius hæ stellæ Florentiæ tardius orirentur quam hodie oriuntur & ita maior esset diuersitas inter ortum harum stellarum, qui Antiochię tempore magni Constãtini fiebat, & inter ortum earundem qui nunc Florentiæ fit, & hæc etiam causæ sunt cur tempore Ptolemęi hęc stella prę-uindemiatrix diceretur quoniam vindemiã antecedebat, tempore autem Aetij vindemiator diceretur, quoniam cum tardius hæc stella oriretur tempore Aetij quam tempore Ptolemęi vuæ iam maturæ erant, & vindemia aderat cum ea mundane

dane oriebatur quare ea tunc vindemiator dicta fuit. Id etiam animaduertendum est vindemiatorem interdum dici ab authoribus non solum stellã illam quæ in dextera virginis penna est, sed etiam totum sidus virginis quod ex 16. stellis componitur, vt Hyginius in lib. de descriptionib. formarum cœlestium affirmat, inquit deinde Hypp.

Non enim similia inuicẽ sunt, sed valde differũt inter se & in mutationibus.

In græcis codicibus, qui Basileæ impressi sunt ita legitur, οὐγὰρ ἐοίκασιν οὐθέν, sed in alio antiquo codice, qui manuscriptus est ita legitur οὐγὰρ ἐοίκασιν ἀλλήλοις οὐθέν, & hanc scripturam ego persequor. Cum igitur Hypp. dixisset oportere medicum nouisse horas anni quid vnaquęque earum facere valeat nunc reddit rationem quare medicus cognoscere debeat quid tempora anni, & eorum tempestates facere possint, & inquit quoniam non sunt inuicem similia nam diuersa temperamenta habent propter quam temperamentorum diuersitatem diuersa sunt etiam in mutationibus quas in corporibus humanis faciunt adeo vt diuersitas temperaturarum temporum anni sit causa diuersitatis mutationũ quas ipsa faciunt non autem diuersitas mutationum sit causa diuersitatis temporum anni, & tempestatum eius. Quid autem anni horæ, facere valeant is perfecte nouerit, qui tertiam sectionem aphoris. Hypp. & libros de morbis vulgaribus legerit in quib. Hypp. optime vim tempestatum, & temporum anni declarat qua si hic narrarem acta agerem & librum ex libro faceremat, quæ in hoc libro ab Hypp. dicuntur de temporib. anni & eorum tempestatibus in propriis locis exponam.

Deinde autem ventos calidos, & frigidos maxime quidem eos, qui cõmunes sunt omnib. hominibus, deinde vero eos, qui vnicuiq. regioni peculiares sunt.

Animaduertendum est græcos has tres voces habere πνεῦμα, φύσα, ἄνεμος, quæ idem ferè significant latine autem reddi possunt spiritus, flatus, ventus, Hypp. enim hac voce πνεῦμα vtitur pro vento pluribus in locis, vt hic, quamuis ea etiam spiritum significet quamobrem nos dicimus spiritu vitalem, animalem, & naturalem, latinis autem hæc vox animam, seu vitam significat quare Vir. sex. Aeneidos dicebat spiritus intus alit prętera etiam hoc nomen πνεῦμα, & spiritus tam græcis

quam latinis aerem significant, vt videre licet apud Hypp. in lib. de flatibus, vbi ipse vtitur hoc nomine plurib. in locis pro aere, & Plinius lib. 2. naturalis hyst. inquit proximum spiritus quem græci nostriq; eodem vocabulo aera appellant. Vltimo significat hęc dictio spiritus auram siue placidum & lenem ventum, quapropter Columella lib. 3. de re rustica dicit veruntamen præstat eligere sationi si lenti, vel certe placidi spiritus diem, &c. φύσα autem vel flatus & si interdum ventum significant, tamen proprie apud Hypp. significat aerem in corpore inclusum, vt ipse affirmat in lib. de flatib. cum ait πνεῦμα siue spiritum corporibus inclusum appellari flatum, extra corpora autem aerem dici. ἄνεμος vẽtum propriè significat, cum igitur Hypp. dicat oportere medicum cognoscere ventos, videndum est primo quid nam ventus sit. Anaximander itaque dixit ventũ esse aeris fluxionẽ, motis in eo à sole aut conliquatis humidissimis atque tenuissimis partibus. Stoici autem omnem ventum esse aeris fluxum dixere, sed nomina mutare propter locorum mutationem. Metrodorus vero dixit ventum esse aqueæ exhalationis incendium à sole factum. At Hypp. in lib. de flatib. ventum esse aeris fluxum & vndam affirmauit, id quod & Theophrasto visum est, vt ipse aperte dicit in lib. de ventis, cum ipse reddit causam cur in altissimis locis tranquillitas est in angustis vero semper ventus, inquit enim aer propter sui multitudinem in angustis locis stare non potest, huius autem motus ventus est, & rursus in eodem libro rationem reddens quare Boreę, & Austri vehementiores sint & longiori tempore durent quam alij venti dicit, id fieri quoniam plurimus aer impellitur ad Septentrionem, & Austrum versus quam versus Orientem & Occidẽtem, quoniam septentrionales, & australes partes ab oriente & occidente obliquantur, sol autem ab oriente in occidentem mouetur, & paulo post cum reddit causam quare Boreas in propriis locis si magna hyems sit est nebulosus, in longinquiorib. vero serenus, Auster autem è conuerso in propriis locis serenus in longinquioribus vero nebulosus & pluuius inquit, boreas propter sui magnitudinem multum aerẽ mouet & prius quam illum expellat ipsum condensat, Auster autem in propriis locis paucam

habet

habet materiam & priusquam ipsam condenset illam expellit,ideoq; in illis partibus serenitatem inducit, pluuius autem fit & nebulosus in longinquis & vehementius spirat cum desinit quàm cum incipit, quoniam in propriis locis & cũ incipit paucũ aerẽ cum aũt vlterius progreditur multum aerẽ mouet, quã sententiã Ar. 2. metheorologicorũ his quinque argumentis confutauit, si eo modo argumenta ex verbis Arist. ducere velimus quo Olympiodorus eius interpres illo in loco ea elicit,quem modum quoniam satis clarus, & ordinatus mihi videtur ego in præsentia sequar, prima igitur Ar. ratio contra Hypp. hæc est,si ventus esset motus aeris tunc pluuiæ & venti eadẽ esset propinqua materia, aer scilicet, nam vt Hypp. arbitratur ventus est motus aeris, pluuia autem est aer condensus,at rerum quæ specie diuersæ sunt diuersæ materiæ propinquę esse debent,vt lege naturæ institutum est, ergo ventus nõ est motus aeris, secunda ratio talis est,ventus est motus vehemens & impetuosus & durat, sed motus aeris est lenis & placidus ergo ventus non est motus aeris, si vero motus aeris interdum est vehemens & impetuosus propter ruinam,vel propter aliquã aliam causam non durat, sed statim desinit quam obrem hac ratione vẽtus nõ potest esse motus aeris. Tertia ratio est nos videmus in annis pluuiis & humidis nullos vel paucos ventos, in annis autem squalidis & siccis multos & vehementes ventos flare, ventus ergo non est motus aeris,nam aer ita moueri potest in annis humidis sicuti in siccis, quare potius dicendum est ventum esse siccam exhalationem quæ multa est in annis siccis pauca autem in annis humidis & pluuiis quam motum aeris. Quarto arguit Ar. contra Hypp. hoc pacto, ventus & pluuia ex se inuicem gignũtur & vnum alterum corrumpit nam ex terra madefacta à pluuia ventus gignitur, & cum magnus & vehemens est pluuia desinit, & cum imber largus est, ventus nõ flat pluuia ergo & ventus contraria sunt ergo eãdem materiam propinquam habere non possunt quã tamen haberent si vẽtus esset motus aeris nam aer condensus est pluuia & ita aer duorum contrariorum propinqua materia esset quod lege naturæ fieri non potest, vt superius diximus. Quinta Ar. ratio ea est, si ventus esset motus aeris nulla

ratio reddi posset cur Boreas & Auster vehementes, & impetuosi, venti autem qui ab oriente & occidente spirant, vt plurimum lenes & placidi sint nam ita vehemẽter moueri potest aer ab oriente & occidente sicuti à septentrione & meridie & leniter à septentrione & meridie sicuti ab oriente & occidente, sed hoc est inconueniens, vt horum effectuum qui tam manifesti sunt ratio reddi non possit non est ergo dicendum ventum esse aeris motum immo potius dicendum videtur aerem ex vaporib. & exhalationibus gigni, è quib. vapores sunt materia pluuiæ exhalationes vero materia venti nam cum vapor sit corpus calidum & humidum exhalatio vero corpus calidũ & siccum facile ex huiusmodi corporib. aer gignitur qui vtriusq; horum corporum alteram qualitatem habet, vt ea corpora quę aliquam qualitatem eãdem habent, ac alia corpora habeant eorum vnumquodq; in aliud facillime mutatur. Prę terea inconueniens videtur quemcumq; aeris motum vẽtum appellare nec potius dicere vẽtum esse aliquid corpus, quod principium habeat à quo moueatur veluti flumina appellamus non quamcumque aquarum collectionem sedeam tantũ quæ fontem habet à quo oriatur, ac moueatur videntur enim flumina & venti in hoc sibi proportione respondere quoniam ambo à quodam certo & determinato principio oriuntur ac mouentur, alia quoque ratione Olympiodorus probare nititur fieri non posse, vt ventus sit motus aeris, nam vt ipse ait nullo pacto rationem reddere possemus si ventus esset aeris motus cur in medio mari pauciores, ac leuiores venti spirent quam propè littora, id enim vt ipse opinatur nulla alia ratione fieri potest nisi quia in medio mari pauciores sunt exhalationes quam propè littora quod sol partes propè littora magis calefacit quare maiorem exhalationis copiam inde eleuat quam è medio mari, quamobrem plures ac magis vehementes venti ibi spirant, ideo autem sol partes maris quæ propè littoras sunt magis calefacit quam medium mare quoniam reflexus radiorum eius validior fit à scopulis & littorib. quæ corpora dura sunt quam ab aqua quæ corpus molle est quamobrem eę partes à sole magis calefiunt. Præterea in altissimis mõtibus venti non spirant, vt indicãt litteræ illæ quæ

scri-

ſcribuntur in cineribus quæ relinquuntur è ſacrificiis qui ibi fiunt eę enim ſequenti anno eodem modo ſe habere videntur ac ſe habebant poſt facta ſacrificia elapſo anno cum ſcriptæ fuerunt, id quod fieri non poſſet ſi venti in illis vel minimi flarent, ideo autem ibi venti non ſpirant quoniam exhalationes quæ à terra eleuantur eò non perueniunt, & hæ ſunt rationes quibus Ar. & Olympiodorus probare nituntur vētum non eſſe motum aeris, vt Hypp. affirmat quæ etiam cōtra ſtoicorum ſententiam adduci poſſunt. At contra Anaximandrum dicere poſſumus, ſi ventus eſſet fluxus aeris motis & reſolutis partibus humidiſſimis ac tenuiſſimis à ſole, in partibus ſeptentrionalibus pauci ac debiliſſimi venti flarent quoniam ſolis radij ibi debiliſſimi ſunt quare humidas partes aeris quamuis tenues eſſent minime reſoluere poſſent, at contrarium ſenſui apparet nam à borealibus plagis multi & vehementes venti ſpirant, prętera æſtate in meridie plures, ac vehementiores venti ſpirare deberent quam mane & noctu & in hyeme, tunc enim ſol eſt ardētiſſimus & ideo ſubtiliſſimas & humidiſſimas aeris partes maxime reſoluere poſſet, ſed veſperi & mane æſtate venti magis ſpirant quam in meridie & hyeme quam æſtate quare non eſt dicendum ventū eſſe fluxum aeris reſolutis in eo à ſole humidiſſimis ac tenuiſſimis partibus, Ariſt. igitur 2. metheorologicorum inquit ventum eſſe exhalationem calidā & ſiccam quæ à vi ſolis & ignis qui ſub terram eſt ſurſum trahitur & impellitur & circa terram oblique mouetur, id autem ea ratione probat quoniam in terra multum ignis eſt, vt fontes calidiſſimi & medicamentoſæ aquæ quæ è terra ſponte naſcuntur manifeſte indicant, quamobrē à terra hoc pacto ignita & à ſole calefacta neceſſe eſt exhalationes multas & vapores multos excitari & ex his quidem pluuias ex illis autē ventos fieri & hæc eſt ſententia Ariſt. de ventis & hæc eſt ratio qua ipſe probat ventum eſſe exhalationem quę à terra eleuatur & illæ quas ſuperius adduximus ſunt rationes quib. ipſe nititur Hypp. & ſtoicorum ſententias de vētis confutare, ſed primum quæro ab Ar. de hac exhalatione quam ipſe dicit eleuari à terra & eſſe ventum an miſceatur cum aere qui circa terram eſt an non, ſi dixerit eam nō miſceri cū prædicto aere nulla ratio

videtur qua ſententiam ſuam probare poſſit cum vnum corpus quod ſuapte natura facile cum alio miſceri poſſit, vt eſt exhalatio tranſeat per aliud corpus quod itidem naturaliter cũ alio facile miſceri valeat cuiuſmodi eſt aer tamen cũ eo nõ miſceatur, ſi vero dixerit Ar. rem ita ſe habere de hac exhalatione quæ ventus eſt ac ſe habet in ea ex qua ſtella crinita fit, quæ & ſi tranſit per aerem & ad ſupremam eius regionem peruenit tamen aeri non miſcetur quoniam igneſcit & inflammatur, ita & hæc exhalatio ex qua fit ventus nõ miſcetur aeri qui circa terram eſt quoniam ea calidior ac tenuior eo aere eſt, dico falſum aſſumi in argumento, videlicet exhalationem illam ex qua ſtella crinita fit non miſceri cũ aere ſupremę regionis, nam ſi exhalatio hęc peruenit ad ſupremam aeris regionem & inter hãc & ignem nihil eſt medium & ad ignem ea exhalatio non peruenit, vt Ar. primo metheorol. affirmauit, neceſſe eſt illam eſſe in aeris ſuprema regione, & cum ea miſceri, vt motus etiam quo hæc ſtella crinita mouetur aperte demonſtrat, qui motus diurnus eſt quo etiam ſuprema illa regio aeris mouetur, vt Ariſt. eo loco quem ſuperius citaui affirmat, motus autem eſt in mobili, vt 600. in locis Ar. dixit, & cum dicebatur ea exhalatio inflammatur aer vèro ille minime, reſpondemus hoc falſum eſſe nam aer ille inflammatur quoniam vt dictum eſt exhalationi illi miſcetur quare non videtur poſſe dici exhalationem hanc ex qua ventus fit non miſceri aeri illi qui circa terram eſt, ſi ergo exhalatio hæc aeri illi miſcetur nulla ratio videtur adduci poſſe cur ventus dici non poſſit motus aeris ſicuti exhalationis cum hæc duo corpora mixta ſint & longe maior pars ſit in ea mixtura aeris quam exhalationis & exhalatio ipſa ſaltem quoad ſubſtantię modum & ad alteram primarum qualitatum aer ſit, ſiquidem exhalatio calida eſt ſicuti aer ipſe, immo vẽtus proprius dicitur motus aeris quam exhalationis quoniam fit in aere ab exhalatione quę ipſum mouet, quare magis proprie loquitur Hypp. cum dicit ventum eſſe motum aeris quam Ariſt. dicens eum eſſe motum exhalationis circa terram. Præterea cum nos flabello, vel aliquo alio inſtrumento æſtate aerem mouemus, aut ille aer ita motus eſt ventus, aut non, ſi eſt ventus bene dixit Hypp. ventum eſſe motum

tum aeris, nisi est ventus, omnes hunc aeris motum ventum appellare, & hoc modo aerem mouere ventum facere omnes dicere ipsumq; aeris motum refrigerare & exiccare & omnia facere quæ ventus facit & non esse ventum, mirum est, si quidē vt etiam Ar. ipse secundo de anima affirmat naturæ rerum ab operationibus cognoscuntur & vbi sunt diuersę operationes, naturæ quoque diuersæ sunt & vbi eędem sunt operationes, naturæ quoque sunt ędem. Adhuc si ventus est multitudo exhalationum quæ circa terram mouentur, venti maiores plures & vehementiores præsertim boreales flare deberent vere & æstate quam hyeme & in meridie quam noctu, ratio autem sic deducitur, si ventus est multitudo exhalationis quæ circa terram mouetur cum sol potest maiorem copiam exhalationis attollere tunc venti maiores & vehementiores spirare debent, sed in ęstate & in meridie sol quia validior est quā noctu & hyeme, potest plures exhalationes attollere, ergo eo tempore plures & vehementiores venti spirare deberent, id autem est contra ea quæ sensu cognoscuntur, nam hyeme validiores & plures venti prędertim boreales spirant quam æstate & vere & noctu quam in meridie. Si vero dixerit Ar. solem validiorem quidem esse æstate quam hyeme & in meridie quam noctu, ideoque tunc temporis plures exhalationes attollere, sed eas sua caliditate & potentia consumere quare tunc multi vē ti & vehementes fieri non possunt, respondeo hoc saltem vere falsum esse, nam sol eo tempore validior est quam hyeme & ideo potest plures exhalationes vere à terra eleuare quā hyeme, prędertim cum & ab imbribus hyemis madefacta sit nec ita validus est, vt illas consumere possit, quamobrem vere plures & vehemētiores venti flare deberēt quam hyeme id quod manifeste falsum est, à partibus septentrionalib. quoque plures & validiores venti spirare deberent æstate quam hyeme, quoniam in eis est magna niuium copia & sol debilis quod radij ipsius debilissimi sunt, quia multum obliqui ad eas perueniunt quare exhalationes à niuibus illis attollere non autē eas consumere potest; immo hyeme nullus ventus à boreali plaga spirare deberet præsertim à partib. quæ sub vertice sūt vbi totos sex menses nox est, quapropter cum sol tunc tem-

poris

poris ad eas non perueniat nec exhalationes attollere, nec ventos concitare poteſt, prẽterea Ar. 2. metheorol. vbi de ventis agit inquit aeris tranquillitatem fieri, aut à frigore quod exhalationem extinguat, aut ab æſtu qui eam conſumat; Cæterum in boreali plaga prẽſertim hyeme maximum gelu eſt quare exhalationem extinguere deberet & magnã tranquillitatem aeris facere quod vt ſuperius diximus falſum eſſe experientia comprehendimus, ſi quis vero vt Ar. defendat dicat, in partibus ſeptentrionalibus hyeme eſſe maximam aeris tranquillitatem, ſed in partibus illis, quæ a boreali axe recedunt hyeme maximos vẽtos ſpirare, primo eum qui ſic dicat interrogabo qua nam ratione tãta exhalationis copia eleuari iis in locis poſſit quæ vẽtos qui tam vehementer hyeme à Septentrione ſpirant comitare poſſit, cum in ſeptentrionalibus partibus longiſſimo ſpatio omnia gelu vigeant, quamobrem vel inde exhalationes non eleuantur vel ſi attolluntur protinus extinguntur, quare hyeme venti à ſeptentrionalibus partibus flare non poterunt. Verum ſi quis dixerit exhalationes à ſole trahi qui in illis partibus quę à boreali aliquantiſper diſtantiis eſt, vt exhalationes attollere non autem conſumere poſſit, primo dicam falſiſſimum eſſe in partibus quæ à boreali polo non multum diſtant ſolem hyeme eas vires habere vt exhalationem attollere & conſeruare valeat quoniam noctes ibi longiſſimæ ſunt & radij ſolis debiliſſimi adeo vt nullam exhalationem attollere poſſint & ſi aliquam trahere poteſt ea protinus à vehementi frigore extinguitur, ſi tamen exhalationes in ſeptentrionalibus partibus à terra trahere poteſt multo magis vere id præſtare poſſet cum ſol in illis partibus quoque validiores vires habeat quam hyeme, nec eas vt exhalationes conſumere valeant, cum apud nos qui Zonã ferè temperatã incolimus ſol vere eas vires habeat, vt quemadmodum vulgo dicitur mouere humores & flatus non autẽ eos conſumere & reſoluere valeat, at nullus vnquã dixit plures & validiores ventos à ſeptentrionalibus partibus flare vere quam hyeme, prẽterea falſum eſſet illud quod Ar. dicit eodem lib. paulò ſupra, cuncta maiores vires habere cum in propinquo ſunt quam cum vltra progrediuntur, quamobrem

plures

plures & vehementiores venti flare deberent eo in loco a quo exhalationes eleuãtur quam cum vltra progrediũtur id quod eſt contrariũ illi quod ab Ar. in loco quem paulo ſupra citaui affirmatur, nõ eſt ergo vẽtus multitudo exhalationis quę circa terrã moueatur, ſi igitur cũ Hypp. & Theoph. nos dicamus vẽ tũ eſſe aeris fluxũ & vndam in hac definitione materia vẽti eſt aer, forma vero eſt motus, ſed cum philoſophus naturalis quatuor cauſarũ genera conſideret modo aliquid dicẽdum eſt de ea cauſa quę ventos cõcitat & de ipſorũ fine, ſtoici itaq, efficiẽtẽ cauſam ventorũ eſſe dixerunt facultatem quandã quam aer habet mouendi ſe ipſum, id quod nos negamus, nam dicimus in aere nullam aliam qualitatẽ eſſe qua ſe ipſum mouere poſſit niſi leuitatem, hac autem aer nõ poteſt moueri niſi ſurſum, at ventus vel deorſum vt Ecnefiæ vel oblique mouetur quam obrem leuitas ventum facere non poteſt, nec poſſumus etiam dicere ſolem ſolum ventum facere, nam ſi ſol ipſe abſque aliqua alia cauſa ventum faceret id vel motu ſuo vel ſua caliditate faceret, ſuo motu ventum facere non poteſt nam venti ſolum vel ſaltem plures & vehementiores eſſent ab oriente & occidente quoniam ſol continuo iter illud facit hoc autem patet eſſe falſum nam plures & validiores venti à Septentrione & Meridie ſpirant quam ab oriente vel occidente, ſua quo que caliditate ventum concitare non poteſt quoniam ipſa caliditate non poteſt in aere tantam caliditatem inducere vt in eo fiat tam vehemens & obliquus motus aeris ſicuti eſt motus venti, præterea nulla cauſa reddi poſſet ſi ſol caliditate ſua vẽ tum efficeret cur ventus interdum deorſum moueatur vt Ecnefiæ faciunt neque cur propter hoſtia fluminum & propter ora conuallium plures & vehementiores venti ſpirent quam in locis planis & ſiccis, ideo dicẽdum videtur proximam cauſam quæ ventos facit eſſe exhalationẽ quę aeri admixta ipſum mouet, remotas autem cauſas efficientes ventos eſſe duas, videlicet ſolem qui exhalationes à terra trahit & calorem qui in terra includitur qui exhalationes ab ea impellit quod videtur ſenſiſſe Hypp. vt ex iis quæ ipſe dicit de ventis in ſecundo libro de ratione victus intelligi poteſt ait enim omnes ventos refrigerare & humectare quoniam neceſſe eſt omnes ventos à

niue,

ATENEO VENETO VENEZIA

niue, glacie, paludibus, fluminibus, lacubus, christallo vel à terra humectata & refrigerata spirare, at venti aliter ab his corporibus flare non queunt nisi quia ab ipsis à calore qui in terra incluſus est & à sole exhalationes mouentur. De fine autem cuius gratia natura ventos facit deinceps dicendum est, plures autem esse fines ad quos venti referuntur manifestum est, nam vēti aerem purgant quod ipsum moueant, nam si torpesceret certe putrefieret, quare Hypp. 3. lib. de morbis vulgaribus inquit annus austrinus, pluuius à ventis in totum silens, præterea venti aeris æstum temperant, pluuias interdum adducunt, interdum autem eas remouent, bona vnius regionis aliis regionibus nauigatione communia & ignotas regiones nauigationibus notas faciunt & hæc de causis quę ventos efficiunt & de earum fine dicta sint. Cæterum quia non solum sententiam suam rationibus confirmare, sed rationibus etiam quę illam destruere videntur respondere oportet, cum nos ventum esse aeris motum probauerimus, nunc rationibus illis quib. Ar. & eius interpres Olimpiodorus hanc sententiam impugnant respondebimus, cum igitur dicebatur, rerum quæ specie diuersę sunt materiæ quoque propriæ diuersæ esse debent, sed ventus & pluuia sunt res specie diuersæ ergo debent habere proprias materias etiā diuersas quod non esset si ventus esset motus aeris nam aer esset propria materia vēti & pluuiæ, respondemus aerem esse materiam communem vento & pluuiæ, sed nō propriam, quoniam aer dum calefactus subtiliatus & rarefactus est fit ventus, dum vero frigefactus & condensatus est fit pluuia, cum igitur aer diuersis immo contrariis qualitatibus affectus, fiat modo ventus modo autē pluuia non erit propria materia venti & pluuiæ & hoc idem responsum dabimus secundę rationi Ar. cum vero Ar. 3. argumentabatur contra Hypp. dicens ventus est motus vehemens & durat &c. respondemus aerem leuiter & vehementer etiam moueri & motum eius interdum durare posse vt cum ab aliqua valida causa mouetur, videlicet à multitudine exhalationis vel aeris vt Hypp. dixit in lib. de flatibus quamobrem ipse in definitione venti non dixit simpliciter ventum esse motum aeris, sed fluxum & vndam vt durationem & vehementiā eius

motus

motus aeris qui ventus est indicaret. Cum autem Ar.4.contra Hypp. arguit & dicit in annis squalidis & siccis plures & vehementiores venti spirant, &c. dicimus hoc non inferre ventum non esse motum aeris nam in annis pluuiis & humidis aer est crassior & dẽsior quam in squalidis & siccis & ideo motui in eptior quapropter in annis illis pauciores & leuiores venti spirant, at in siccis, aer tenuis est & subtilis & ideo motui idoneus quare tunc plures & validiores venti spirant. Cur autem Boreę & Austri vehemẽtiores & durabiliores sint quam Euri & Fauonij quod erat illud quod 5. Hyppocrati, Ar.obiiciebat, dicimus Theoph.in lib.de ventis hoc probl. explicare vt nos superius diximus cum ipsum idem sentire cum Hypp.de definitione venti contendimus, & preterea dicimus vim immaginum cœlestium quæ in Boreali plaga sunt vehementiores & durabiliores ventos facere, hę enim cum nobis vicinæ sint motum aeris vehementiorem & longiorem efficere possunt, vt Arist.2. metheorol.de Orione affirmat. Olympiodoro autem cum ipse quærit ab Hypp. quare in medio mari leniores venti sunt quam in sinib. & propè littora dicimus, hoc ideo fieri quia in medio mari aer latius se profundit & ideo lenius mouetur, in sinib.vero & prope littora constringitur & multus fit quamobrem stare non potest & vehementius mouetur vt idem Theo. in lib. de ventis affirmat, haud secus ac aqua quæ vehementius mouetur in canalib.& angustis locis quam in latis alueis & locis. Cum autem Olympiodorus dicit in altissimis mõtibus vẽtos nõ flare, &c. & est vltimum Olympiodori argumentum contra Hypp. dicimus hoc ideo fieri quia aer in altissimis montibus diurno motu leuiter mouetur adeo vt litteras in cinere descriptas delere non possit, cœtęrę autem aeris mutationes eò non perueniunt quare neque venti. His visis aliquid de numero & situ ventorum dicendum est, in quib.enumerandis sentẽtiam iuniorum nautarum sequar, nam ea vsu & quotidiana experientia comprobata est, nautæ igitur ventos 32. esse affirmant è quib 8.principes vẽtos esse dicunt, videlicet Eurumi qui ab oriente spirat, Fauonium vel Zephyrum qui ab occidente, Boream qui à Septentrione, Austrum qui à Meridie,

Euro-

Euroaustrum qui inter orientem & meridiem situs est, Aphricum qui inter meridiem & occidentem, Aquilonem qui inter orientem & Boream, Circium qui inter Boream & occidentem, deinde inter Eurum & Euroaustrum alium ventum statuunt qui æquidistat ab Euro & Euroaustro & illum medium ventum appellãt, deinde alios duos ventos inter binos principes ventos esse dicunt, videlicet vnum inter Eurum & medium ventum qui ab Euro & medio vento æquidistat, aliũ deinde vẽtum ponunt inter medium ventum & Euroaustrum qui à medio vento & Euroaustro æquidistat, hunc ventum quartam Euroaustri dicunt, illam vero quartam Euri & sic de singulis aliis ventis dicunt, nam inter binos principes ventos tres alios ventos esse affirmant. Cum igitur principes venti 8. sint & inter binos principes ventos tres alij venti ponantur vti diximus erunt vẽti illi qui non sunt principes 24. qui additi 8. principibus ventis summam 32. ventorum faciunt. Nunc ad vires ventorum veniam, & hac in re lectorem monitum vellem vt si altius ventorum vires quam ad medicam facultatem pertinet intelligere vult philosophos adeat præsertim Ar. 2. metheor. Theophrastum in lib. de vẽtis & Senecã in quæstionibus naturalibus, nã hic meus sermo ipsi aptus nõ est qui Hypp. medici interpretem profiteor, ipse autẽ in hoc ipso tex. inquit oportere medicum nouisse ventos calidos & frigidosquod nil aliud est quàm dicere opus esse vt medicus nouerit ventos vt corpora animantiũ mutare possunt quod ipsi maxime faciunt caliditate & frigiditate quę magis agentes sunt quam aliæ duæ primæ qualitates, habent ergo venti binas vires è quib. quædam ipsis naturales sunt, quasdam vero eundo sibi acquirunt, prius de naturalibus dicam, Hypp. secundo de ratione victus dicit omnes ventos vim habere refrigerandi & humefaciendi non solum corpora animantium verum etiam omnia quæ ex terra fiunt, id autem hac ratione probat, omnes venti fiunt ex niue, glacie, christallo, lacubus, paludibus, fluminibus, vel terra humectata quæ omnia sunt corpora frigida & humida, ventus igitur ex materia frigida fit quare necesse est ventos quoque frigidos & humidos esse ideoq; frigefacere, & humefacere, ventos autem ex frigidis & humidis

humidis corporibus fieri non probat, sensu enim comprehenditur ventos & auras ab illis attolli, & si magna fuerint huiusmodi corpora magni & vehemētes, si vero parua lenes & parui venti ab ipsis attolluntur. Arist. quoque secundo metheorol. hac eadē ratione motus vapores frigidos appellat quod à frigido corpore eleuantur, ait enim aer quidem vt in anterioribus diximus ex his fit vapor enim humidus & frigidus est, si quis vero dixerit hos vapores & has exhalationes à sole attolli calefaciendo corpora illa à quibus eæ eleuātur quare vaporem esse corpus calidum & humidum exhalationem vero corpus calidum & siccum vt primo metheor. dixit Ar. respondemus solem attollere vapores & exhalationes vētumq; facere cum non nimis ardens est, quoniam tunc consumit vapores & exhalationes nec ventos concitat, quamobrem in regionibus calidis & siccis neque æstate in meridie venti non spirant vel admodum lenes, ideoque sol tantam caliditatem in aere & in exhalatione imprimere non potest vt in ventis non sit vis refrigerandi & humectandi quam trahunt à frigidis corporibus à quibus eleuantur, præsertim cum sol non sit princeps & proxima causa efficiens ventorum, nam proxima causa efficiens ventorum est exhalatio vt opt. dixit Theophrastus in lib. de ventis, & si Arist. dicit primo metheor. vaporem esse corpus calidum & humidum, exhalationem vero corpus calidum & siccum hoc ideo dixit quoniam si conferamus vaporem & exhalationem cum corporibus illis à quibus vapor & exhalatio attolluntur hæc erit corpus calidum & siccum ille vero corpus calidum & humidum, nam vt à corporibus frigidis & humidis vapores & exhalationes attollantur opus est vt ea corpora prius modice calefiant, cum autem Ar. affirmauit vaporem esse corpus frigidum & humidum hoc dixit respiciendo naturam quam habet à corpore illo à quo eleuatur, at venti exiccant præsertim Boreas dicet aliquis, hoc à ventis per se non fieri dicimus sed quod sua frigiditate corpora quæ ipsis exposita sunt cōstringendo humiditatem omnem quæ in illis est exprimunt, eam vero quam in sui superficie habent vehementia sui motus consumunt, quamobrem auræ & lenes venti tarde & parum exiccant quoniam humi-

ditates quæ in ſuperficie corporum ſunt ſuo lento motu con
ſumere nec ſua parua frigiditate humorẽ qui in ipſis corpo-
ribus eſt exprimere nõ valent,ſiquidem paucus aer eſt ille qui
tunc mouetur, ſi autem aliquis ventus interdum calefacit vt
fieri ſenſu comprehendimus ventum hoc interdum facere di
cimus non ex ſe ſed vi quadam quam accipiunt à locis per
quos tranſeunt quę quidem vis illis naturalis non eſt ſed aſci
ta de quibus mox dicam, aſcitę igitur ventorum vires ferè
infinitę ſunt quoniã qualitates ac proprietates locorum per
quos venti tranſeunt in infinitum variari poſſunt,attamen hæ
ventorum vires ad quaſdam communes regulas reduci poſ-
ſunt quibus eas cognoſcere poterimus hoc pacto. Aſcitæ
ventorum vires fiunt in ipſis à loco qui vel eſt principium à
quo ventus oritur vt Septentrio vel Meridies vel eſt is per
quem ventus tranſit,ſi igitur eſt locus principium à quo ven-
tus oritur venti ab eo has vires accipiunt,nam ſunt magni vel
parui,continui vel intermittẽtes, æquales vel inæquales, æſti
ui vel hyemales,magni in principio & parui in fine,vel è con-
uerſo,omnes has differentias & vires venti habent à loco qui
ipſorum principium eſt, nã ſi multus eſt aer ille qui eſt in eo
loco à quo ventus oritur magni continui & ęquales venti in
principioq; magni in fine parui vẽti fiunt, quales venti Septẽ
trionales ſunt, ſi vero eo in loco vnde ventus oritur paucus
ſit aer ille qui mouetur venti contrario modo ſe habent ac vẽ
ti Septentrionales ſunt vt bene dixit Hypp. ſecundo de ratio
ne victus & Theoph.in lib. de ventis.At à loco per quem tran
ſeunt venti vires acquirunt vel à qualitate vel à figura vel à
ſitu ipſius, à qualitate quidem quoniam qualitas loci vel eſt
naturalis vel artificialis,naturales qualitates locorum ſunt ca
liditas, frigiditas humiditas,ſiccitas, vel etiã quod locus ipſe
venenatus ſit quia per flatus capere non poſſit vel quod fętor
aliquis ibi ſit qui aerem illum afficiat, ab huiuſmodi natura-
libus facultatibus locorum, ventorum frigiditas & humidi-
tas augetur aut diminuitur vel etiam pœnitus in contrariam
naturam mutantur aut venenati fiunt, qualitates autem arti-
ficiales & aſcitæ locorum ſunt, cultura & deſertio vel putre-
do ipſorum quod numeroſus exercitus ibi diu manſerit vel

etiam

etiam si magna vrbs per quam ventus transeat, in ea enim tot sunt excrementa vt expurgari non possint quamobrem in quibusdam magnis vrbibus vt sunt Lutetia Parisiorum, & Constantinopolis semper hac de causa pestis adest, si igitur locus per quem venti transeunt fuerit cultus & arboribus consitus impetus ventorum ab ipsis frangitur & odore florum ac foliorum suaues redduntur, per fossas etiam & sulcos aquæ emittuntur nec stagnare permittuntur quare venti puriores & ideo salubres fiunt, contrarias autem vires illis quæ dictæ sunt propter contrarias causas venti acquirunt qui per loca iuculta deserta & venenata transeunt. A figura autem vel à situ locorum per quos venti transeunt ipsi vehementiam & impetum acquirunt, nam in locis altis quoniam plus aeris ibi impellitur quam in humilibus venti vehementiores & maiores sunt quam in planis & depressis, in angustis etiam quam in apertis & spatiosis locis venti vehementius spirant, nam in angustis locis aer multus fit nec propter sui multitudinem stare potest ideo vehementius impellitur & mouetur quam per loca aperta & spatiosa vt superius diximus cum opinionem Theophrasti de ventis narrauimus, aqua etiam eadem ratione per angusta loca vehementius mouetur quam per aperta & spatiosa. Hactenus de natura ventorum & eorum viribus quæ ad ventos qui omnibus hominibus communes sunt, pertinent, de viribus autem ventorum qui aliquibus regionibus proprij sunt dicimus eas posse cognosci eadem methodo qua superius vsus sum in indagandis ascitis viribus vētorum qui omnibus hominibus communes sunt, nam omnes eorum vires quod ipsis sint adscitę à locis acquiruntur, non enim fieri potest vt vires omnes ventorum qui aliquibus regionibus proprię sunt enumerentur quod in infinitum variari queant, inferius tamen de aliquibus ventis qui regioni nostræ, & alicui regioni quæ nostræ vicina est nonnulla dicam. Cętęrum iure dubitaret aliquis de his quæ hic dicit Hypp. videlicet deinde ventos calidos & frigidos, nam si ipse arbitratur omnes ventos esse frigidos & humidos cur dixit deinde ventos calidos & frigidos &c. & si venti interdum a locis per quos transeunt caliditatem acquirunt, cur caliditatis & frigiditatis so-

lum mentionem fecit non autem humiditatis & ſiccitatis quarum illa vento naturalis videlicet humiditas, hæc autem ipſi aſcita eſt ſiccitas ſcilicet vt etiã caliditas eſt cuius Hypp. mentionem facit quod mirum videtur quia idem Hypp. tertia ſectione Aphoriſ. 5. & 17. Aphoriſſ. cum narrat effectus illos quos faciunt tempora aquilonia & auſtralia enumerat multos effectus qui à ventis aquiloniis & auſtralibus fiunt qui quidem ab humiditate & ſiccitate maxime procreantur vt in commentariis eorum duorum aphoriſſ. Gal. docte & diligenter animaduertit, reſpondeo hoc ideo feciſſe Hypp. quoniam caliditas & frigiditas qualitates maxime agẽtes & principes ſunt, aliæ vero duæ humiditas ſcil. & ſiccitas veluti adiutrices caliditatis & frigiditatis ſunt, ſiccitas enim calorem acuit humiditas vero facillime frigiditati cõiungitur, quamobrem Ariſt. tertia ſectione probl. 7. probl. inquit multum humidum cum refrigeratur in multum frigidum ſe conuertit & quarto metheor. cap. primo dicit humiditatem & ſiccitatem eſſe patientes qualitates, caliditatem vero & frigiditatẽ agentes & cap. primo ſummę ſecundæ eiuſdem libri inquit principia corporum patientia eſſe humidum & ſiccum, ideo Hyp. hic breuitati ſtudens agentiũ & principum qualitatum mentionem facit, præterea effectus quos humiditas & ſiccitas in corporibus animantium faciunt ad caliditatem & frigiditatẽ referuntur, nam ſi nimia Auſtri humiditas caput grauat & homines pigros reddit, hoc facit quod calorem innatum obtundit grauat & craſſiorem facit, quare membra quę beneficio huius calidi operationes ſuas faciunt eas facere nequeunt quoniam illud ab ea tempeſtate debilitatur, quamobrem hi effectus ad frigiditatem referuntur, ſi autem Boreas ventrem adſtringit hoc facit ſua vehementi frigiditate, nam ſuapte natura frigiditas corpora condenſat & adſtringit, qua ratione etiam fortaſſe adductus Hypp. caliditatis tantum & frigiditatis meminit reliquas autem duas tacuit, ſi vero hos effectus & quoſdam alios his ſimiles quos Hypp. in illis duobus aphoriſſ. quos ſuperius citaui Hypp. enumerat Gal. in cõmentario ſuo in 7. & 17. aphoriſſ. ad humiditatem & ſiccitatẽ retulit hoc ideo fecit quoniam ibi Hypp. docere nos voluit

de

de effectibus boreę & Austri vt si aliqui ex iis in morbis quibus mederi debemus euenirēt distinguere sciremus illos qui à vi morbi ab iis qui ab aliqua causa extrinseca fiunt vt est aer qui corpora nostra ambit, vt bene animaduertit idē Gal. in cō mentario suo in 5. aphoris. 3. sectionis, quamobrē quo clarius loquebatur Gal. eius interpręs melius faciebat nam eo pacto facilius hæc discere possumus, at clarius loquuturus erat si nonnullos effectus Boreę & Austri potius ad humiditatem & siccitatem quā ad illorum caliditatem & frigiditatem referebat quod sensui magis patet illos ab humiditate & siccitate quam a caliditate & frigiditate illorum fieri, & vt melius Hypp. ea quæ in morbis eueniunt propter morborum vim discernere possemus ab iis quæ fiunt a tempestatibus & ventis in duobus illis aphorismis latius enumerauit effectus vētorum, tacuit autē illorum qualitates, at hoc in loco vbi ipse ostendere vult medicum debere naturam ventorum nouisse quod corpora nostra mutant duas tantum qualitates ventorum enumerauit quibus vt iis quæ efficacissimæ sunt venti corpora nostra maxime mutare valent. Inquit deinde Hypp.

Oportet autem & vires aquarum considerare & enim vt in ore & in pondere differunt, ita vniuscuiusque facultas ab aliis differt.

Postquam Hypp. dixit oportere medicum nouisse anni horas & ventos tum communes omnibus hominibus tum proprios vnicuique regioni & cur hæc omnia quæ ad aerem pertinent medicus cognoscere debeat, nunc ait medicum etiam naturam aquarum scire debere, nam aquę non minus inter se differunt quam anni horæ & venti, sciendum est igitur Hypp. hic loqui velle non de aquis medicamentosis & spontenatis nec de aqua maris, sed de aqua illa quę si à terra incipiamus secundum elementum est & communiter aqua dulcis appellatur qua homines vt medicamento & vt nutrimento vtuntur, & si ea vtantur ad abluendas sordes vestium & ad multa alia facienda hæc ad medicum non pertinent, Hypp. igitur hic loquitur de aqua, vt nutrimētum est quoniam & si non nutrit purum enim elementum est, attamen per corpus diffunditur & ea quæ, vere nutrimenta sunt præparat & corrigit veluti cū carnes & legumina in ea decoquimus & vinum

diluimus, quare si mala fuerit vel pauca vel nimia vel in tempore non bibatur multos morbos facere potest, si vero bona fuerit moderateq; & in tempore bibatur sanitatem tueri valet, quæ etiam facere possunt ea quæ vere nutrimenta sunt, quamobrem Hypp. paulò inferius dicit considerandum esse cum ad aliquam regionem nobis ignotam peruenimus quam nam aquam incolę eius bibant & qua victus ratione vtantur, sic enim facilius & naturam ventrium cognoscere & morbos quibus ipsi laborant prędicere & illis bene mederi poterimus, aqua enim sicuti aer corpora nostra multis modis mutare & alterare potest & inquit sicuti aquę pondere & gustu ita quoque viribus & facultate inter se differunt, vbi animaduertẽdum est, cum Hypp. dicit pondere non intelligere grauitatem quæ trutina examinatur sed tenuitatem & crassitiem aquarum, quemadmodum cum ipse 26. aphoris. 5. sectionis dicit aqua quæ cito calefit & cito refrigescit leuissima est non intelligit aquam quæ cito calefit & cito frigefit leuem pondere esse sed tenuem & subtilẽ vt Gal. in commentario in illum aphoris. affirmat aquæ igitur dicit hic Hypp. vt tenuitate crassitie & sapore inter se differunt ita viribus & facultate quod ego paulo inferius diligẽtius examinabo. Aristot. quoque probl. 13. primæ sectionis quærit cur mutationem aquarum grauem aeris vero non grauem affirmant, & respondet quoniam aqua corporibus alimento est quod quemadmodum superius diximus est intelligendum quo iam habito complexoq; peregrinamur, aer autem nullo se exhibet alimento, aquarum autem genera multa & varia per se sunt, sed aeris minime dicitq; per se nam quædam sunt qualitates quę aquis ferè propriè sunt, nam quædam aquæ crudæ aliæ vero leues sunt, & hæ per se inesse illis dicuntur, aliæ vero qualitates aquis insunt sed non ita propriæ vt primæ & hæ non dicuntur per se inesse aquis vt sunt hæ, nam quędam aquæ sunt palustres aliæ vero fluuiatiles vt bene animaduertit Petrus Apponensis in commentario suo in illud probl. Itaque hoc etiam causæ esse potest quippe cum peregre etiam profectis in cęlo quidem propè eodem in aquis autem variis versari eueniãt quapropter aquę mutationem grauem esse recte putatum

tatum est, hęc Arist. sententia mihi valde suspecta est & primo de probl. ipso dubito an verum sit aquarum mutationem grauem aeris vero non grauem esse, nam longe grauior videtur esse aeris mutatio quam aquæ videmus enim illos qui ex salubri loco in grauem vel ex graui in salubrem transeunt grauissimis morbis corripi & sæpissime mori, vt iis accidit qui ex marittimis locis Senarum in interiorem Aethruriæ, partem transeunt, & illis quoque qui ex Aethruria ętate Romam vel Neapolim proficiscuntur vel ex prædictis locis eo tempore in Aethruriam transeunt. Prętera illi qui sub graui cœlo habitant parum viuunt & morbosam vitam ducunt, immo tantam vim aeri inesse videmus vt si malignus & pestilęs fuerit statim homines interimat vt iis accidit qui in foueas in quibus frumentum repositum est descendunt si illę prius diu obturatæ manserint, Florentię quoque elapsis annis in quodam diuersorio qui in vico diui Laur. est puteus quidam siccus nec adopertus erat inquem sordes diuersorij illius proiiciebantur, cuius putei aer ita malignus factus erat vt cum gladius in illum forte cecidisset is cuius gladius erat fune se in puteum illum demicti iussit vt gladium suum recuperaret (& enim non multum profundus erat) & cum in putei fundo iam esset statim mori cœpit, quapropter cum moribundus esset alius vt illi succurreret in puteum descendit & ambo ac tutum periere, cumque alius in puteum demitteretur vt illis opem ferret cum iam propè fundum esset statim clamare cœpit morior, morior, sursum me retrahite, id quod cum factum fuit vix cum iam extra puteum esset vitæ restitutus est. Aues quoque pestilentem aerem vitant adeo vt in illis regionibus quæ pestilentia laborant nullæ vel admodum paucæ aues videntur, in Euganea regione propè locum illum vbi quondam Aquileia nobilissima Italiæ vrbs sita erat vicus quidam est quem villam vicentinam dicũt vbi quod aer malignus & pestilens sit homines vix 25. annis viuunt, videtur igitur aeris mutatio & habitatio etiam longe grauior & magis morbosa esse quam aquæ, si quis vero dixerit homines qui sub graui cœlo habitant morbidos esse & parum viuere quoniam malas aquas bibunt non autem quod aer pestilens

& grauis sit hoc falsum est nã sępissime videmus & si bonitas aquę bonitati aeris plerunque comitatur & è cõuerso attamẽ in locis grauibus erũpere fontes bonarum aquarum quas incolæ earum regionum bibunt & nihilominus paruo tempore viuunt maliq; habitus & morbis obnoxij sunt, quamobrem falsum videtur id quod Ar. in eo probl. dicit videticet aquæ mutationem grauem esse non autem aeris, rationes quoque quas ipse adducit vt dictum suum probet debiles esse videntur, nàm cum ipse dicit aquam alimento esse non autem aerem, dicimus aerem lõge magis alimento esse quam aquã, si quidem aqua ideo alimento est quod vnà cum alimento in corpus diffunditur, at aer ideo alimento est quoniam ex eo instaurantur spiritus qui consumpti sunt vt Gal. septimo de vsu partium corporis humani & in lib. de vtilitate respirationis manifeste probat, quamobrem ratio hæc nulla esse videtur. Cum vero ipse affirmat aquarum multa genera esse non autem aeris, hoc dictum valde dubium esse videtur nam longe plura esse videntur genera aeris quam aquæ si non loquimur de medicamentosis aquis & sponte natis quæ potùi non sunt, sed de his tantum quæ bibuntur, nam horum duorum elementorum considerari possunt vel qualitates ipsorum vel substantię, qualitates quidem eorum sunt caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, puritas, impuritas, odor sapor & motus, substantię autem ipsorum sunt tenuitas & crassities, si igitur eorum qualitates considerauerimus longe magis distare videtur aer ab aere qualitatibus suis quam aqua ab aqua, nam in paruo regionis spatio & in vna parte regionis quam in alia aer est alio aere calidior vel frigidior, humidior vel siccior, nec solum in vna parte regionis aer est calidior frigidior humidior vel siccior aere alius partis regionis sed etiam in vna & eadem domo si vna pars ipsius sub aliquo monte sit aer illius partis qui propè montem est longe frigidior est aere eius partis qui à monte longius distat, præterea non nullæ villæ sunt quę æstate frigidæ, hyeme vero tepidæ sunt, cuiusmodi est Cęnobium illud Franciscanorum qui Fesulis est & vulgo dicitur la Doccia, immo caliditas & frigiditas quam aquę fontium & puteorum hyeme & æstate habent

ab

ab aere sunt,& enim caliditas & frigiditas aeris in cauernibus terræ illis temporibus se recipiunt & aquas calidas vel frigidas faciunt vt inferius paulò,aperte demonstrabimus. De puritate autem & impuritate horum duorum elementorum dico,his duabus qualitatibus longe magis differre aerem ab aere quam aqua ab aqua, si quidem aer interdum adeo impurus est vt statim homines interimat vt superius ostendi, aqua vero si mala sit & diutius bibatur homines ad malum habitum perducit, id quod etiam aer nisi pestilens sit,vt aqua ipsa facit, puritate autem aerem ab aere magis distare dico quam aqua ab aqua nam multo magis purus est aer altissimorum montium aere conuallium & planicierum, aer collium aere montium qui alti sunt vbi ferè semper nebula est, aquas vero si naturaliter se habeãt adeo vt cum ipsis multa alia corpora admixta non sint vt in largis imbribus cum fluminibus terra & multa alia corpora adiiscentur puritate similes esse sensu percipitur, si vero odorem aquæ & aeris considerauerimus manifeste patet longe magis differre aerẽ ab aere quam aqua ab aqua,immo aqua nisi vapor fiat nullum habet odorẽ, sapore autem fateor magis differre aquam ab aqua quam aer ab aere, nam multę aquę sunt quę licet medicamentose non sint attamen saporem aliquem habent & ideo bonæ nõ sunt, nam aqua bona vt paulo inferius demõstrabitur saporem nullum habere debet, aer autem nunquam saporem habet, motu quoque longe magis distat aer ab aere quam aqua ab aqua, aer enim altissimorum montium nullum motum nisi diurnũ habet vt superius dictum est, at aer qui in profundissimis vallibus est nullum motum habet,aer vero qui propè ora fluminum & in montibus est, ventis,procellis, & turbinibus agitatur, aqua vero omnis ferè semper mouetur vt manifeste appa ret in fontibus, fluminibusq;, lacuum autem paludum & puteorum aquæ vel à se ipsis vel à ventis mouentur, quamobrẽ si qualitates horum duorum elementorum cõsiderentur longe magis differre videtur aer ab aere quam aqua ab aqua.
Si vero ipsorum substantias aspexerimus,adhuc longe magis differt aer ab aere quam aqua ab aqua crassior enim est aer palustris & vallium aere puro & tenui vt aer est montium altissi

morum

morum & collium præterea aer qui nunc craſſus eſt ſæpe eadem die tenuior fit & è conuerſo, nam cum aer ſerenus eſt tenuior & purior eſt quam cum eſt nebuloſus, cum vero nebuloſus fit craſſior redditur, ſed aqua quæ modo craſſa eſt non fit tenuis neque ea quę nunc tenuis eſt craſſior redditur quod etiam de qualitatibus horum elementorum dici poteſt, eæ enim in aere ſæpius mutantur in aqua vero minime, dictum Ar. experientiæ quoque contrarium videtur præſertim in iis qui peregrinantur quibus in hoc probl. ipſe dicit mutationẽ aquarum eſſe grauem non autem aeris, nam nos videmus multos qui à montanis locis ad marittima proficiſcuntur mori vel magnis morbis corripi vt paſtoribus accidit qui à montanis locis Tuſciæ ad marittima loca eius regionis peregrinantur. Cęterum & ſi rationes quas Ar. adducit vt probet aquæ mutationem grauem eſſe aeris verò non grauem veræ eſſent adhuc dictum ipſius falſum eſſet, nam eſto vt aqua alimento ſit non autem aer & maior ſit differẽtia aquæ ab aqua quam aeris ab aere adhuc grauior eſſet mutatio aeris quam aquę nam quod aqua alimento eſt ideo in ſtomacho & iecinore mutatur & alteratur antequam ad cor, cerebrum & ad alia membra principalia perueniat, at aer ſtatim antequã aliquo pacto mutetur & alteretur ad cor & cerebrũ peruenit, quamobrem aeris mutatio grauior eſt quam aquæ quod magis lędere poteſt, ſi quis verò dixerit aqua diu manet in corpore nõ autem aer qui ſtatim corpus ingreditur & ab eo egreditur ideo magis lædit hominem mutatio aquæ quam aeris, dico primum aerem in corpore remanere quoniam ſpiritus vitalis & animalis ab eo inſtaurantur vt ſuperius dictum eſt, deinde & ſi aer in corpore non remanet adhuc eius mutatio grauior eſt quam aquæ quoniam ſpiritibus admiſcetur, vt eos expurget & ventilet quamobrem eius mutatio hominem facilius lædere poteſt quam mutatio aquę, præſertim cum ipſe aer tenuiorum partium ſit quam aqua, at ea quæ tenuiorũ partium ſunt magis efficacia ſunt adoperandum quam ea quæ partes craſſiores habent vt Gal. tertio de ſimplicium medicamentorum facultatibus firmiſſimis argumẽtis probat, quamobrem oportet medicum aquarum naturam cognoſcere ideo aliquid

quid de iis dicere opus est, dico itaque aquam elementarẽ de qua ego nũc dicã omni sapore colore & odore carere debere quã Gal. 11. methodi dulcem appellat duplicem esse, etenim naturalis vel artificialis est, naturalis est quæ sponte in aliquo loco erũpit vt fontes, flumina & lacus sunt, vel alicũde descẽ dẽtes vt pluuiæ, vel cum descẽderint in aliquo loco à se ipsis colliguntur vt paludes, artificiales sũt eę quæ naturalibus & arte carentibus opponũtur vt sunt illę quas coquẽdo colãdo vel per canales aliquò deducimus vel in aliquẽ locũ arte colligimus quales sunt illę quę in cisternis colligũtur, vel spõgia aut aliquo alio instrumento à plãtis sumũtur, vel ex herbis lignis ex aut aliqua alia re igne extrahũtur, id tamẽ animaduertere oportet esse quasdã aquas quę & naturales & artificiales appellari possunt, vt sunt aquæ quorundã fontiũ & puteorũ, fontium.n. aquę si cõsiderentur vt in aliquo loco sponte erũpũt naturales sũt, si vero eas cõsiderauerimus vt per plũbeos vel terreos canales aliquò deducuntur artificiales sunt, præsertim si coopertæ ducuntur possuntq; ab ipsis canalibus aliquam noxam contrahere, & si cooperte per canales fluunt luce solis non fruuntur vt eę quæ subdiu terra labuntur, puteales aquæ & quod sponte nascuntur naturales sunt, verum quia terram fodere opus est vt eę fluere possint & in concauis locis qui arte sunt fabricati continentur artificiales dici debent, ego igitur de naturalibus aquis tantum dicam & de iis vt alimento sunt & vt corpus humanum eas corrumpit & vincit non autem dicam de aquis vt corpus humanum alterant & vt medicamento sunt quemadmodum balneum aquę dulcis est quo vtimur ad humectandas solidas corporis partes & ad frigefacienda corpora in æstate ad abluẽdas eorum sordes & ad extinguendum ardentes febres, si igitur aquam hoc pacto considerauerimus in multis vsu venit, primo enim sitim extinguit & hac de causa suauissima appellatur quamuis saporem neque odorem non habeat, sitis enim humidi & frigidi appetitus est vt bene dicebat Ar. 2. de anima tex. 28. hoc autem ideo fit quod calor noster innatus continue corporis nostri substãtiam consumit & eam exiccat quamobrem ipse acrior fit quam esse debeat si quidem siccitas vt iuniores

dicunt

dicunt lima caloris est qua de causa eum refrigerare & hume facere opus est vt lenior reddatur nec cõburet,quod optime aqua præstat cum frigidissima & humidissima sit,nec ideo dicendum est aquam in corpus nostrum agere vt medicamenta in illud agunt, hęc enim ita in corpus nostrum agũt vt actionis victoria sit ipsius medicamenti at in siti victoria est ipsius caloris innati si quidem ipse ita in aquam agit vt illam in aliã substantiam mutet videlicet inserosum humorem quamuis illa etiam in calorem innatum leuiter agat quod ipsum magis benignum ac lenem faciat, quod etiã vsu venit in iis quæ vere nutrimenta sunt, è quibus quædam calida quædam vero frigida ideo dicuntur quoniam licet à calore nostro innato corrumpantur attamen postquam calor noster ipsa vicit. & in allam substantiam mutauit ipse quoque à frigiditate nutrimenti post victoriam interdum diminuitur aliquando autem à caliditate alimenti post victoriam augetur, quod ita intelligendum est vt qualitas ipsius calidi innati interdum augeatur interdum vero diminuatur,non autem eius substãtia, illa enim semper ab alimento augetur calorem autem innatum in aquam agere & illam in aliam substantiã mutare ostendit serosus humor qui ex aqua fit & actu & potentia calidus est vt sudor indicat qui serosus humor est qui per capillares venas cutis excernitur & sensu cognoscitur calidum actu esse,potentia verò illum esse calidum salsus sapor ipsius ostendit, nã salsus sapor in calida substantia fundatur vt Gal. quarto de simplicium medicamẽtorum facultatibus cap. 21. opt.probat,alium quoque vsum aqua præbet, cõcoctio enim præsertim ea quæ in stomacho fit elixatio quędam nõ autem assatio est, quamobrem aqua illam elixationẽ iuuat, pręterea succus ille qui ex nutrimento in stomacho gignitur crassus est quamobrem per venas meseraicas & alia loca quæ angusta sunt ad iecur & alia membra transire non posset nisi aqua ipsum liquaret & attenuaret,ab illa autem liquefactus & attenuatus facillime per angusta illa loca ad iecur trãsire potest, quod etiam sanguini vsu venit nam ipse à iecinore per totum corpus diffunditur & ossium substantiam penetrat quod ab aqua cũ iam inserosum humorem mutata est veluti vehiculo

quodam

quodam ad hæc membra vehitur vt bene animaduertũt Gal. quarto de vsu partium corporis humani & Auicenna lib. primo fen secundæ doctrinæ secundæ cap. 16. Aqua autem non nutrit quia elementum purum est illa autem non nutriũt & licet fortasse aqua exquisite pura nullibi sit, attamen non est cum aliquibus corporibus ita mixta vt corporibus animantium applicari possit & eorum substantiam quę consumpta est resarcire valeat nam iisdem animantium corpora aluntur ex quibus constant sed constant ex mixtis quare ex illis nutriuntur. Cum igitur multi sint vsus quos aqua corporibus nostris præbet modo videndum est quænam sit aqua illa quæ melius quam aliæ aquæ hos vsus nobis præbere valeat, Hyppocr. igitur quinta sectione aphoriss. aphoris. 26. inquit aqua quæ cito calet & cito refrigeratur leuissima est, sed animaduertere oportet cum Hypp. ait lęuissima est non intelligere aquam quę minimi ponderis sit sedeam quę sit tenuissima vt Gal. in commẽtario suo in illum aphoris. affirmat & si tenuitati corporis leuitas comitatur, attamen qui solo pondere aquæ bonitatem & malitiam examinant sæpissime falluntur vt paulo inferius demonstrabo, hæc igitur omnia ea quæ ab aqua humano corpori vsu veniunt optime pręstare poterit, nam citissime alimentum ad mẽbra perferet nec stomachum & præcordia grauabit aut obstruet, sed quæ nam aqua lęuissima est? Hypp. 6. de morbis vulgaribus commentario 4. tex. 19. Aquarum arte carentium quæ ab Aethere excreta est aut cum tonitru, opportuna, procellosa vero mala. Quapropter scire opus opus est in codice græco ita legi ὡραῖον quam vocem multa significare superius ostendi, interpręs hanc vocem reddit opportuna, at Gal. in commentario suo in hunc tex. eam interpretatur tẽporaria quod ferè idem est adeo vt tẽporaria aqua sit ea quę ex Aethere descendit eo tempore anni quod greci ὥρα appellant quod tempus æstatem esse superius dixi, Hypp. vero cum dicit Aquarum arte carentium quæ ab æthere excreta est intelligere aquam quæ æstate pluit probat Gal. quod Hypp. dicit quæ ex æthere excreta est, nam antiqui æthera aerem serenum & purum appellabant, nebulosum vero & crassum, aerem tantum dicebant,

si igitur

si igitur Gal. expositionem huius tex. probauerimus dicendũ erit aquarũ arte carentiũ tẽporariam, procellosam bonã vero malã esse adeo vt dubiũ sit vt etiã Gal. in cõmentario suo in illũ tex. affirmat an Hypp significare voluerit hanc aquam esse sine culpa vel aliquid insigne bonum in se habere, id quod Hypp. indicare voluisse verba ipsius quæ sequuntur ostendũt videlicet procellosa vero mala nam si procellosa quæ temporarię vel opportunę opponitur mala est tẽporariam bonam esse oportet, ideo fortasse melius hunc tex. interprætabimur si dicamus aquarum arte carentium quæ ex Æthere descendit ideſt quæ æstate pluit tunc enim aer serenus & lucidus est ideo æther dicitur, opportuna & commoda est in quo significatu Hypp. vtitur hac voce ὡραῖον vel ὡραῖα tertia sectione aphoris. aphoris. 8. vt superius dixi, adeo vt sententia huius tex. sit aquarum arte carentium quæ æstate pluit sereno cœlo ideſt à nube non continua vt plerumque sunt nubes in æstate vt Gal. etiã in cõmentario suo in hũc tex. affirmat opportuna & bona est, procellosa vero mala, est autem aqua procellosa ea quę à nube crassa & continua vnà cum magnis ventis descẽdit, necesse est enim in ea multos crassos & terreos fumos admisceri à quibus venti concitantur, nã si fumi illi qui aquę procellosę admixti sunt tenues fuissent altius ascendissent & fulgura, corruscationes, cometas, vel aliquam aliã talem formam in suprema aeris regione non autem ventos vel aquam in inferiore aeris parte fecissent, quapropter hæc procellosa aqua ideo mala est quod suapte natura crassa est & crassiora corpora illi admiscentur, quamobrem leuis esse non potest nec cito præcordia pertransire, immo ea grauare & fumis qui ipsi admiscentur stomachum & præcordia male afficere valet, Enumerat autem Hypp. in hoc tex. tria aquarum genera, eam scilicet quæ ab æthere, illam quæ cũ tonitru pluit & procellosam, è quibus Gal. in commentario suo in illum tex. prę cęteris duabus laudat eam quę ab æthere descendit, deinde illam quæ cum tonitru pluit quam dicit deteriorem esse ea quæ ab æthere descendit sed procellosa lõge meliorem, nam illa quæ cum tonitru descendit è crassiore nube fit quam sit ea quæ ex Æthere fit, ideo tam leuis & tenuis esse non potest

vt illa

vt illa quæ ex Aethere est, quoniam siue tonitrus fit ab igne in nubibus incluso vel cum nubes inter se pugnant occursantes nisi crassiusculę essent ignem non clauderent neq; occursantes inter se pugniarent, at procellosa è nube longe crassiore fit quam illa est à qua tonitrua fiũt & ideo mala est vt paulo supra dixi. Dubitat Gal. in commentario suo in hunc tex. an Hypp. in eo loquutus sit de aqua arte carente vt ea medicamentum vel nutrimentum est, nam ex ea oculare illud medicamentum componitur quod aqueum appellatur nec dubitationem tollit, crediderim ego Hypp. hic loquutum esse de aqua arte carẽte vt ea alimentum est, nã superius in hoc eo dẽ libro cum de aqua elixa loquitur manifeste de ipsa loquitur vt ea alimẽtum est, prẽterea in quatuor tex. qui hunc ipsũ immediate antecedunt Hypp. de ratione victus manifeste loquitur etiam si Gal. interpretationem probauerimus. Verum quia raro aqua conditionibus supradictis pluit ideo videndum est qua nam ratione cognoscere possimus an aquę quæ in aliqua regione ad quam peruenerimus quęcumque eę fuerint bonę vel malę sint. Gal. lib. primo de simplicium medicamentorum facultatibus aquam an bona vel mala sit tribus sensibus iudicari dicit nempe gustu, visu, odoratu, gustu quidem & odoratu si nullam qualitatem oleat vel sapiat, multæ enim aquæ sunt quæ salledinem, acrimoniam, stypticum saporem, sulphur, putredinem, vel aliquam aliam malam qualitatem quæ dici non potest olent & sapiunt, visu autem si perlucida pura ac sincera fuerit adeo vt neque muscus neque aliquod aliud corpusculum in ea videatur, cum autem dicimus aquam puram & sinceram esse debere non adamussim & simpliciter ipsam sinceram & puram esse affirmamus quoniam hæc elementa media & quæ sensibus cognoscuntur pura & sincera exquisite non sunt sed dicimus aquam puram & sinceram esse debere vt hominibus vsui est & sensibus videtur, at vero quia nonnullæ aquæ sunt quæ nihil olent, nec sapiunt perlucidę & puræ videntur attamen aliqua malignitate infectæ vel crudæ sunt ideo signis & experimẽtis quibusdam eas examinare opus est, & primo scisciscitari oportet ab incolis eius regionis in qua aquæ sunt quarum naturam nos cognoscere

volumus

volumus,an eę aquæ malam aliquam ac venenatam qualitatem in se habeant,incolæ enim longo vsu & experientia aquarum naturam quę apud illos sunt optime norunt,vtilissimum etiam erit habitus corporum incolarum considerare nam si habitus corporũ erunt boni euidens signum erit aquas quas bibunt bonas esse,si vero mali aquas quoque malas esse significabitur,cruditatem vero aquarum signis quibusdam deprehendere poterimus, sed prius dicere oportet quę nam aquę sint quæ crudæ appellantur, sunt igitur aquę crudæ quę etiã indomitę ab Hypp.in hoc libro,& duræ à Gal.lib.3. de differentiis pulsum,& incoctiles ab eodem Gal. 4. commẽtario in lib.Hypp.de morb.vulgaribus in commentario suo in tex.decimum,& graues à Gal. in commentario in 26. aphoris.5. sectionis dicuntur illæ quæ non facile concoquntur & tarde in corpus permeant & diutissime secundũ præcordia subsistunt vt Gal.sub finem tertij libri de differentiis pulsuum affirmat, has autem cognosces vel à loco in quo nascuntur vel ab iis quæ operantur vel ab iis quæ patiuntur, a loco quidem quoniam aquę illæ omnes quæ in montibus & vallibus erumpũt vbi metalla nascuntur crudæ sunt quod manifeste indicant mulieres illę, quæ vallem quandam incolunt quæ in agro Brixiẽsi est vbi ferrum nascitur,omnes enim strumas in anteriore colli parte habent quod aquas illas metallicas bibunt ideoq; multos crudos & crassos humores gignunt quoniam eas aquas concoquere non possunt qui humores in partem illam colli fluunt quoniam ea gulę vicina & laxa est quamobrem humores illi in ea facillime recipiuntur & strumas illas faciunt, viri autem his strumis non laborant,quoniam calidiores & robustiores sunt fœminis & facilius aquas illas cõcoquunt,ideoq; pauciores cruditates quam fœminę gignũt, aquę etiam quæ è lapidibus scaturiunt & per lapides fluunt crudæ sunt, quoniam cruditatẽ à lapidibus illis contrahunt, eæ etiam quę in locis erumpunt qui septẽtrionalem plagam & quæ è medio mari vel è fluminibus scaturiunt sunt crudæ, illæ enim quæ in locis boream spectantibus nascuntur præ nimia eius loci frigiditate interdum nimis condensantur, quæ vero in mari atque fluminibus nascuntur à lapidibus fluminũ

&

& ab ipsis fluminibus quoque præsertim si per magnas vrbes & magna oppida transeunt cruditatem aliquã & a mari crassitiem & salledinem quandam facillime contrahere possunt, aquæ etiam illę quæ prope terræ superficiem nascuntur quas Hypp. in hoc libro sublimes appellat malę sunt quoniã æstate calidæ hyeme vero frigidæ sunt de quibus paulo inferius satis abundanter loquar & hæc indicia naturę aquarum à loco in quo aquæ nascuntur sumi possunt, ab iis vero quæ aquę ipsæ faciunt hæc indicia sumuntur, si enim manus abluamus eæ autem post ablutionem duriores & asperiores fiant illa aqua cruda est, id quod aquæ quæ in montibus erumpunt in quib. Cœnobium illud quod Vallis vmbrosa vulgo dicitur situm est manifeste faciunt, nam crassa & terrestri substantia constant quare crudæ sunt, nec dici potest illas hoc facere quod frigidissimæ sunt quoniam aquę fontium quæ in montibus Pistorienſibus oriuntur & in aliis Aetruriæ locis frigidissimæ quoque sunt nec tamen cum manus abluimus eas duras vel asperas faciunt, aquę illæ etiam in quibus legumina carnes & alia tarde coquntur crudæ sunt quoniam earum substantia crassa est, & ideo corpora illa quæ ipsis decoquntur cito penetrare non possunt vt bene dicit Gal. in commentario suo in 10. tex. quarti commentarij in 6. lib. Hypp. de morbis vulgaribus. Ea vero quæ aquæ patiuntur hæc signa dant, nam si eas in ore teneamus eadem causa tardissime calefiunt & postquam calefactę sunt tarde quoque refrigescunt, animaduertendum est Hypp. hic dicere aquas in ore & in põdere differre adeo vt gustu & visu cognosci possint ego aũt superius vnà cum Gal. dixi aquas tribus sensibus cognosci posse videlicet visu olfactu, & gustu at Hypp. in hoc loco nullius qualitatis meminit quæ olfactu diiudicari possit, dico itaque suffeciſſe nunc Hypp. reddere rationem, quare oporteat medicum aquarum vires nouisse, nam vt inter se gustu & põdere differunt ita etiam vna ab alia viribus distat, quamobrem non opus fuit Hypp. omnes qualitates quibus aquæ inter se differũt enumerare, satis enim ipsi fuit nõnullas ex ipsis dicere, vel etiam responderi potest si aquæ differunt in ore nõ solum sapor ipsarum cognoscetur sed odor etiam,

ATENEO VENETO VENEZIA

quoniam licet sapor primo ore sentiatur, odor etiam secũdo cognoscitur eius rei quã in ore habemus, dicit deinde Hypp.

Quapropter postquam aliquis ad vrbem peruenit cuius expers est, situm ipsius contemplare oportet, quomodo ad ventos & orientem solem iaceat, non enim idem potest ea quę Boreã & ea quæ Austrum spectat, neque illa quæ ad orientẽ solem & illa quę ad occidentẽ vergit. Hęc autẽ quam diligentissime cõsiderare opus est, & qũo se habeant circa aquas, nunquid palustribus & mollibus vel asperis & ex sublimibus et petrosis defluentibus siue salsis & indomitis vtuntur, Terram quoq; animaduertere opus est, nuda ne sit & sine aquis, vel densa & aquosa, & si in cauo loco est & æstuosa vel sublimis & frigida.

Postquam Hypp. dixit medicum, ventorum qui omnibus hominibus communes & eorum quoque qui vnicuique regioni proprij sunt & aquarum vim & naturam nouisse debere, nũc veluti corollarium quoddam medico apprime necessarium addit, videlicet oportere medicum cum ad aliquam vrbem peruenit cuius notitiam non habeat, situm illius considerare, quoniam aer earum regionum quæ orientem solem spectant non habet eandem vim quam habet aer illarum quæ ad occidentem vergunt, itidem aer earum vrbium quæ Boream spectant non idem potest ac possit aer illarum vrbium quæ ad austrum vergunt, cum igitur varij vrbium situs diuersas aeri vires tradat, varios & diuersos effectus in corporibus animantium facere possunt, & ideo à medico diligentissime considerandi sunt, quamobrem scire opus est Boreã vel Austrum, orientem solem vel occidentem spectare, aut ad hæc vergere, nil aliud significare quam nullum montem vel collem aut aliquem alium obicem habere qui inter eam cœli plagam sit & illam regionem quam plagam illam spectare dicimus vel ad ipsam vergere, ita nos aliquam vrbem orientem solem spectare dicimus quia nullus obex est inter ipsam vrbem & orientem qui impediat vt ab ipsa vrbe orientem videre non possimus, nec solum regionis situm medicus considerare debet verum etiam aquas quibus vtuntur incolæ illius vrbis ad quam ipse peruenit, hæc enim duo elementa corpora animantium maxime mutare possunt quare, videndum est nunquid incolæ alicuius regionis palustribus aquis & mollibus ideſt crassis & lutosis vel asperis ideſt crudis vtantur quas veluti describens dicit vt sunt eæ quæ ex petrosis & sublimibus

blimibus locis defluunt, ex sublimibus autem locis defluunt aquæ illæ quæ è locis qui propè terræ superficiem sunt, nascuntur proinde sublimes dicuntur vt superius diximus, vel salsis & indomitis, vbi animaduertendum est quid inter sit inter crudas vel asperas aquas & indomitas, si quidem crudæ vel asperæ illæ aquæ sunt quæ difficulter concoquntur & præcordia diu grauant, indomitæ quoque quas Hyppocr. ἀτέραμνα appellat eadem faciunt & patiuntur, an crudas vel asperas Hypp. aquas illas dicit quæ multum terræ in se ad mixtum habent & frigidissimę sunt, nullum tamen odorem, saporem, vel colorem habent, indomitas vero eas appellauit quę quod saporem aliquem habent & metallicum quid sapiunt difficulter concoquntur & prȩcordia tarde pertranseunt, quamobrem ipse dixit salsis & indomitis, ea voce salsis omnem saporem qui in aquis esse potest significare volens, nec solum regionem perspicere opus est vt cœli plagas spectat & ventis patet sed etiam qualis illa per se ipsam est, proin Hypp. dixit terram quoque animaduertere oportet nuda ne sit idest siticulosa & sine arboribus vel arboribus condensata & aquosa, vel cõcaua & ȩstuosa idest vt perflatum non habeat vel in aliquo sublimi loco sita sit quamobrem ventis infestetur & sit frigida, nam hæc omnia vt inter se differũt ita etiam non solum varias verum etiam contrarias vires aer prȩstare & corpora animantium variis immo etiam contrariis affectibus afficere valent.

Victus quoque ratio qua homines gaudent consideranda est, an bibuli, commessatores, & ociosi, vel exercitiis dediti, & alacres, aut voraces nec potus appetentes sint, & ab his singula expendere oportet.

Victus ratio quam medicum considerare debere Hypp. ait nil aliud est quam is ductus contextusque curationis qui per consuetas materias efficitur vt Gal. in commentario primo in primum lib. Hypp. de ratione victus in morbis acutis in commentario in 6. tex. eius libri affirmat, qui non solum cibo & potione verum etiam qui omnibus aliis vt otio, exercitatione, balneo, venere, somno, & vigilia constat, & demum omnibus quæ quouismodo fiunt in corporibus humanis vt Gal. ostendit in commentario tertio in tertium lib. Hypp. de mor

bis vulgaribus in expoſitione tex. 9. Hæc autem omnia ad quatuor fontes ab eodem Gal. referuntur primo de Tuenda ſanitate videlicet ad ea quæ corpori humano admouentur ad illa quę ex ipſo educuntur vel in eo retinentur, ad ea quæ ipſi exterius accidunt & ad ea quæ illud facit, & ad mouendorum nomine cibus & potus & ſi quod leue medicamentum quod alimẽti rationem quoq; habeat intelligitur, eorũ vero nomine quæ ab ipſo educuntur vel in ipſo retinentur excrementa intelliguntur quæ quomodo & quibus inſtrumentis è corpore educi debeant Gal. eodem libro manifeſte docet, iis vero quę ipſi exterius accidunt, balnea, frictiones, veſtes, aer illud ambiens & omnia quæ cuti admouentur intelligimus, illis vero quę corpus humanum facit, exercitationes, ſomnum, vigiliam, Venerem, animi perturbationes & demum omnes animantium operationes ſignificamus, a quibus fontibus humanum corpus in quantitate & qualitate mutatur, in quantitate quidem quoniam corpus alunt vel inaniunt, inaniunt autem dupliciter videlicet quia excrementa educunt & quod ſubſtantia noſtra naturalis aſſidue a calido innato conſumitur, proin hęc conſumptio nutritioni qua illam inſtauramus opponitur. In qualitate autem mutatur humanum corpus cũ refrigeratur vel calefit aut ſiccatur vel humectatur, Hypp. igitur cum ſuperiore tex. de aere & aquis dixiſſet, quæ ambo ad ea quę corpori humano admouentur & ad illa quæ ipſi exterius accidunt referri poſſunt, nam cum aerem inſpiramus ad ea quę corpori admouentur, cum autem illum vt nos ambit conſideramus ad ea quæ ipſi exterius accidunt referri poteſt aqua autem ſi vt potionem expendamus ad ea quę corpori admouentur, ſin autem illam vt balneum examinauerimus ad ea quę ipſi exterius accidunt reduci poteſt, nunc præcipit medico vt conſideret an incolę eius regionis quã adiit quęq; ipſi adhuc ignota, eſt exerceantur vel ocioſi ſint quę ad caput illud reducuntur in quo continentur ea quæ humanum corpus facit & an voraces & guloſi ſint quæ ad caput illud referuntur quod cibum & potionem habet & hęc duo victus rationem appellat quoniam caput victus rationis hęc duo eſſe Hypp. exiſtimat vt indicant ea quę ipſe dicit in 6. lib. de morbis

bis vulgaribus in 22.tex.4.commentarij Gal.in illum librum videlicet professio tuendæ sanitatis nō saturitas cibi impigritas ad labores,& inter cœtęra medicū animaduertere debere dicit an incolę eius regionis ad quā peruenit sint voraces nec potus appetentes, multi enim sūt qui multum comedūt & parum bibunt,alij vero vt Germani parum comedāt & multum bibunt, è quibus tutior est vt Celsus cap. 2. primi libri ait in tęperantia quę in potione quam ea quæ in esca est,nam cibus valentioris materiæ est quam potio & ideo ipso repleri difficilius & grauius est quam potione,& ab his singula expendere oportet inquit Hypp.videlicet cognoscere qui nam morbi illius regionis incolas affligant & qua nam ratione illis medendum sit.

Si quis enim hæc pulchre nouerit, maxime quidem omnia, sin minus saltem plurima, cum ad aliquam vrbem peruenerit cuius expers fuerit nec morbi illi vrbi peculiares, neque ventrium natura quę nam sit illum latebunt, adeo vt non hærebit nec errabit in morborum curationibus, quę euenire solent nisi quis hęc prius sciens promptus fuerit.

Cum dixisset Hypp.ea quę medicus scire debet,nunc rationem reddit quare medicus ea quæ ille dixit scire debeat & inquit, si medicus ea quæ dixi omnia vel saltem ex iis plurima nouerit, morbos illi regioni proprios & ventrium naturam cognoscet, quamobrem non hæsitabundus morbis medebitur neque in eorum curatione errabit, quæ ambo euenire solent iis qui prius hæc bene non norunt & ea in promptu non habent, proin sciendum est in codicibus Germanis græcis qui Basileę à Frobenio impressi sunt verba Hyppoc. ita legi οὐκ ἂν ἀῳ λανθάνοι ἐς πόλιν ἀφικνεόμενον ἧς ἂν ἄπειρος ἦ οὔτε νοσήματα ἐπιχώρια οὔτε τῶν κοινῶν ἡ φυσις ὁκοίη τίς ἐστιν quam lectionem Cornarius probat & verba Hypp.sic vertit, eum non latere possunt cum in vrbem sibi ignotam peruenerit neque morbi regioni peculiares & proprij neque communis regionis naturā quęcunque tādem ea fuerit, at in codice quodam qui impressus non est sed scriptus cuius diuersæ lectiones ab iis quæ in impressis leguntur Patauio ad me missæ sunt ea dictio quæ in impressis codicibus græcis quos dixi legitur τῶν κοινῶν, in eo legitur τῶν κοιλιῶν idest ventrium,quam lectionem

ctionem etiam cognouerunt illi qui vltimo Venetiis Gal. libros impreſſere vt ex annotationibus quas ipſi in marginibus huius libri ſcripſerunt comprehendi poteſt, quæ lectio longe melior mihi viſa eſt quam ea quæ in impreſſis codicibus habetur, nam morbi vt Gal. ait in primo commentario in primum librum Hypp. de morbis vulgaribus vel fiunt ab aere ambiente vel ab aqua aut ab aliqua alia communi cauſa & ij vocantur à græcis ἐπιδήμια vel à victus ratione & ij σποράδες ideſt diſperſi ab iiſdem dicuntur, ſi igitur medicus nouerit ſitum vrbis quã adiit & aquas quibus incolæ eius vrbis vtuntur, morbos proprios illi vrbi cognoſcet qui omnes vel plurimos ex ipſis vexant quamuis ſexu, ætate, temperamento, & ſtudiis diuerſi ſint quoniam ij fiunt ab aere qui incolas eius vrbis ambit vel ab aquis quibus illi vtuntur, ſi vero medicus rationem victus conſideraverit, ventrium naturam ſciet, & conſequenter morbos qui ab illis propter malam victus rationem fieri poſſunt, ſcire etiam opus eſt ventres ab Hypp. appellari maiores omnes cauitates quę in humano corpore sũt vt caput, Thorax & abdomen ab iiſque & in iis fieri omnes morbos qui humana corpora affligunt, nam & ſi brachia, manus, crura & pedes multi morbi inuadunt, attamen ſemper ij morbi ab aliquo ventrium originem ſuam trahunt, proinde ſi medicus à victus ratione & ab aqua quibus incolæ eius regionis vtuntur ventrium naturam didicerit, morbos etiam omnes qui in ipſis & ab illis fiunt probe cognoſcet, in diuerſis illis lectionibus ab illis quæ in impreſſis codicibus leguntur quas ad me Patauio miſſas fuiſſe paulò ſupra dixi vltima pars huius tex. ita legitur niſi quis hæc prius ſciẽs ad ſingula promptus fuerit, deinde, De procedente autem tempore &c. quæ lectiones ambę probari poſſunt, ſi igitur lectionem impreſſorum codicum recipere voluerimus tex. qui hunc proxime ſequitur ita incipiemus.

De vnoquoque autem aduenient tempore & de anno vtique dicet, & qui morbi communes vrbem occupaturi ſint æſtate vel hyeme, & quibus priuatim vnuſquiſque periclitetur propter victus mutationem, ſi vero aliam lectionem probauerimus tex. ita incipiemus.

De aduenięte aũt tẽpore & de anno et quę ſequũtur, res tamẽ parui refert.

Ex

Ex his duabus ſcripturis quamcumque nos probare voluerimus, dico Hypp. in hoc tex. rationem reddere velle eorum quæ in ſuperiori tex. dixit, videlicet medicum qui ea omnia nouerit vel ſaltem ex iis plurima quæ ipſe paulò ſupra enumerauit, morborum curationes non hæſitabundum aggreſſurum neq; in iis erraturum eſſe, nam ab illis, anni qui aduenit naturam cognoſcet & conſequenter dicere poterit qui morbi per vrbem populariter graſſabuntur hyeme & æſtate, & ſi duorum anni temporum mentionem facit, duo autem tacet, illis duobus reliqua duo etiam intelligit, præterea morbi qui vere fiunt ſui cauſam ab hyeme trahunt, nam tunc multa excrementa gignuntur propter aeris qui nos ambit frigiditatem, quæ poſtea vere mouentur & morbos pariunt, morbis etiam qui in autumno fiunt æſtas materiam ſuggerit, quoniã æſtate humores aduruntur & vires propter aeris nos ambiẽtis nimium calorem debilitatę ſunt qui deinde in autumno aduſti ſunt & ab eius temporis inæqualitate agitantur & morbos faciunt, nec ſolum medicus qui ea quæ Hypp. dixit probe nouerit non ſolum morbos qui per eam vrbem populariter graſſaturi ſint verum etiam quibus morbis vnuſquiſq; priuatim periclitetur propter victus mutationem prædicere poterit; vbi animaduertendum eſt Hypp. hic cum dicit mutationem victus non intelligere idem quod ſuperius videlicet aquæ vſum & ea quæ comeduntur & bibuntur, ocium & quietem, quæ omnia ad fontes illos referuntur qui continent omnia ea quæ humano corpori admouentur & quæ ab hominibus fiunt ſed aerem qui ad ea quæ corpori admouentur refertur vt ipſum inſpiramus, & ad ea quæ corpori extrinſecus accidunt vt corpus noſtrum ambit, nam Hypp. à cognitione ſitus vrbis & anni infert medicum poſſe prædicere vulgares morbos, & eos quoque quibus priuatim vnuſquiſque periclitaturus ſit propter victus mutationem, at ſi cum Hypp. hic dicit victus mutationem nos intelligamus ocium & quietem, aquas, & reliqua quæ bibuntur & comeduntur a mutatione horum non ſolum homines morbis periclitantur ſi in malam victus rationem bonam mutabunt, ſed etiam multos morbos declinabunt ſi malam victus rationem in bonam muta-

uerint, Cęterum ſi cum Hypp. dicit victus rationem intelligamus aerem à mutatione eius propter mutationem temporum anni multis morbis homines periclitãtur, quare Hyp. paulo poſt inquit cognoſcens enim horarum mutationes & aſtrorum ortus & occaſus &c. quę omnia ipſe affirmat cognitionem anni pręſtare poſſe à cuius mutationibus homines multis morbis periclitantur quamobrem ipſe primo aphoriſ. tertiæ ſectionis dicit Mutationes temporum potiſſimum adferunt morbos: inquit deinde Hypp.

Sciens enim horarum mutationes & aſtrorum ortus & occaſus vt vnumquodque eorum ſit, pręcognoſcet vtique annum qualis nam ipſe futurus ſit, ſic ſiquis ſcrutatus fuerit & pręuiderit tempora, de vnoquoque maxime ſciet & plerumque ſanitatem conſequetur, nec minimum in arte erit fœlix.

Cum dixiſſet Hypp. paulò ſupra medicum qui nouerit victus rationem incolarum eius vrbis ad quam ipſe peruenit & illius ſitum, facile deinde cognoſcere poſſe morbos illos qui populariter per eam vrbem graſſantur & eos quoque qui ſingulos homines priuatim inuadunt, & conſequenter bene illis mederi poſſe, nũc rationem reddit quamobrem medicus qui vrbis ſitum nouerit hęc omnia pręſtare valeat, nam ſi medicus horarum anni mutationes quarũ principia & fines Hypp. ab ortu & occaſu ſyderum ſummit & ideo medico neceſſariũ eſt nouiſſe quando ſydera in ea vrbe ad quam peruenit orian tur & occidant & quomodo ea ſydera dum oriuntur & occidunt ſe habeant ad ſtellas & ad alia aſtra & quęnam tempeſta tes eſſe ſoleant dum illa oriuntur & occidant vt præuidere poſſit qualis nam annus futurus ſit, cumque hoc pacto anni tempora ſcrutatus fuerit optime ſciet ea quæ agere opus eſt & ſæpiſſime ſanitatẽ conſequetur & fœliciter in arte ſua procedet, animaduertẽdum eſt locum illum nec minimũ in arte erit fœlix dupliciter legi nã in codicibus qui Baſileæ impreſſi ſunt ita legitur καὶ κατὸρθὸν φέροιτο ideſt recte feretur ſi verbum verbo reddere voluerimus, at in emendationibus illis quas ad me Patauio miſſas fuiſſe dixi ita legitur καὶ καθορθόιν ὀυκ ἐλάχιϛα ἐν τῇ τέχνῃ quam lectionem ego ſequutus ſum & ea verba tranſtuli nec minimum in arte erit fœlix, attamen hæ duæ lectiones non admodum inter ſe diſtant.

Siquis vero hęc sublimia esse arbitratus fuerit si ab hac sententia discesserit, discet vtique astronomiam non parum ad medicinam conferre sed plurimum, simul enim cum horis & ventres hominum mutantur.

Veluti tacitæ quæstioni respondens Hyppoc. inquit, si cui astrorum ortus & occasus, ventorũ, aeris aquarum & situum vrbium notitia sublimior videatur quam medico conueniat, is si ab hac erronea opinione discesserit, manifeste cognoscet astronomicam sciẽtiam medicæ arti magno adiumento esse, & rationem dicti sui reddit, nam astronomia mutationum horarum anni nobis notitiam præstat, at mutationi horarum anni mutatio quoque humanorum ventrium comitatur, mutatio autem ventrium multorum morborum & sanitatis quo que hominibus causam esse consueuit, vt optime Hyppoc. & Gal. tota tertia sectione aphoris. docuere, Cęterum considerare oportet an Hypp. cum hic dicit Astronomiam magno adiumẽto esse medicinæ intelligat astronomiam illam quam naturalem appellãt quę cœlestium orbium numerum, situm & motum syderum ortum & occasum, eclypses & varias stellarum & astrorum magnitudines & apparentias tractat, vel eam quam iudiciariam dicunt quæ hominum inclinationes, mores, vitam, mortem & fortunas prædicere profitetur, Crediderim ego Hypp. hoc in loco intelligere naturalem astronomiam, quoniam ipse dicit medicum nouisse debere ortum & occasum syderum vt inde cognoscat mutationes horarum anni quibus mutatio ventriũ comitatur, à quibus infert astronomiã medicæ arti multum conferre, at oĩa hæc ad naturalẽ astronomiam pertinent, an vero astronomia iudiciaria medico vtilis sit non est præsentis disputationis considerare, hoc tamen dico sententiam Gal. quam ipse profert tertio libro de diebus decretoriis mihi maxime placere videlicet iudiciariam astronomiam esse artem quam Aegyptij coluere & medicinæ maxime vtilem & eos qui eam damnant sophistas esse affirmat, qui in plateis & publicis vrbium locis quotidie strepunt, attamen vnicuique de hac re vt lubet iudicium facere permitto.

Quo-

Quoniam & quæ medicum scire debere Hyppoc. dixit res magni momenti sunt & cognitu difficiles, cum ipse ea superius in vniuersum proposuisset nunc de iis distinctius & exactius se particulatim dicturum promittit.

CAPVT SECVNDVM.

QVAECVMQVE vrbs ventis calidis exposita est, ij autem sunt qui à Brumali ortu solis & ab eiusdem hyemali occasu spirant, huic ij venti familiares sunt, à septentrionalibus tecta est, aquæ vero in ea multæ ac subsalsæ sunt, & necesse est eas sublimes, æstate quidem calidas hyeme vero frigidas esse.

Hoc caput vt bene animaduertit iunior quidam vir sanè accuratus & diligens male ordinatum est, multa enim in eo transposita, quędam in alia cap. nonnulla vero ex aliis capitibus in hoc importata sunt, verum horum errorum maiorem partem sola coniectura emendare opus esset quod valde periculosum est, ideo ego impressorum codicum scripturam sequar vt etiam facit Ianus Cornarius qui omnia Hypp. opera in latinum sermonem transtulit, dico itaque Hypp. postquam in superiore cap. in vniuersum de ventis & aquis egit & rationem reddidit cur medicus, ventorum, aquarum, horarum & tempestatum anni naturam scire debeat, nunc particulatim docet naturam vniuscuiusque regionis pro ratione vẽtorum quibus ipsę perflantur, aeris qui ipsas ambit, & aquarum quę in ipsis erumpunt, inquit igitur eas vrbes quæ aduentos calidos sitæ sunt, & simul dicit qui nam venti calidi sint, illi scilicet qui inter brumalem solis exortum & brumalem eiusdem occasum sunt, hi venti regionibus illis sunt peculiares idest in illis regionibus sępius ac vehemẽtius spirant, à Borealibus aũt tutæ sunt, superius dixi qua nam ratione aliqua regio ab aliquibus ventis tuta aliquibus vero exposita esse dicatur nunc vero videndum est cur venti qui inter brumalem solis exortum & eiusdem brumalem occasum sunt, calidi ab Hyp. dicantur, ideo igitur Hypp. eos calidos appellat quod à borealibus qui frigidissimi sunt maxime distãt & ab ea cœli parte spirant per quam sol continue mouetur, quas regiones ita

sitas,

sitas, aquas multas, subsalsas, & sublimes idem Hypp. habere affirmat, quæ nam vero aquæ sublimes sint ipsemet declarat cum ait eas esse æstate calidas hyeme vero frigidas, quod ideo fit quia huiusmodi aquæ à partibus terræ nascũtur quæ illius superficiei vicinę sunt, quamobrem caliditate & frigiditate aeris maxime afficiũtur, cum igitur aer calidus est ipsę quoque calidę sunt, cum autem cœlum frigidum est ipsę quoque frigidę sunt, sed cur in his regionibus aquæ multæ & sublimes sunt? an quia hę regiones satis decliues sũt vt Arist. primo metheor. docet & vi solis cauernosæ & tritæ sunt quare ab illis multi vapores & fumi efferuntur quæ corpora deinde in aquas coguntur quæ subsalsæ sunt quoniam vaporibus ex quibus ipsæ fiunt nonnulli fumi admiscentur qui terrestres sunt, sapor enim salsus ex substantia terrena & calida fit, neq me præterit in Codicibus græcis qui Basileæ à Frobenio impressi sunt legi μὴ μέτεωρα, ideſt non sublimes sed hæc scriptura mala est, nam Hypp. vltimo cap. huius libri rursus dicit aquas sublimes esse illas quæ æstate calidę hyeme vero frigidę sunt, inquit deinde Hypp.

Et quęcumque quidem vrbes soli & ventis bene expositę sunt, & aquis bonis vtuntur, hæ minus à talibus mutationibus inficiuntur, quæcumque vero aquis paluſtribus, & lacuſtribus vtuntur, nec bene ad solem & ventos sitæ sunt hę magis.

Tota ea pars libri de aere, aquis, & locis, quæ à principio huius secundi capitis vsque in finem quinti capitis est librariorum vel temporum culpa in Codicibus græcis qui Basileę impressi sunt & in iis quoque quos Aldus impressit in librum Hypp. de vulneribus capitis importata est, quorundam vero Iuniorũ cura & diligẽtia in proprium locum restituta est, post quam igitur Hypp. in illis vrbibus quæ ad meridianos ventos sitæ sunt multas aquas & illas quidem subsalsas æstateq; calidas hyeme vero frigidas erumpere, ipsisque ventos australes familiares, à Borealibus autẽ tectas esse superiori tex. ostẽdidit, nunc affirmat vrbes illas quæ bene ad solem & ventos expositæ sunt & bonis aquis vtuntur à talibus mutationibus minus affici quam illę quę paluſtribus & lacuſtribus aquis vtuntur, nec bene ad solem & ventos sitę sunt; ex Hyp. verbis

verbis quę in hoc textu sunt illa diligenter considerare oportet scilicet à talibus mutationibus quid nam Hyppoc. illis duobus verbis significare voluerit, credo igitur Hyppoc. nil aliud his verbis dicere voluisse nisi vrbes illas quæ bene ad solem & vētos expositę sunt à malis mutationibus aeris quæ à ventis Australibus fiunt quæ semper malę & vehementes sunt & à mutationibus aquarum à calido in frigidū quæ mutationes si à frigido in calidum æstate fiant, hyeme vero à calido in frigidum semper malę sunt, minus affici quam eæ quæ male ad solem & ventos sitæ sunt, hæ enim quoniam venti meridiani in ipsis vehementius ac sæpius spirant, aerem in peiorem statum quam prius esset mutant quoniam humidi valde & crassi sunt, quamobrem illum procellosum & turbidum reddunt, quibus mutationibus aquæ etiam palustres & lacustres opitulantur, quod ab eis multi crassi & turbidi vapores efferuntur qui aeri admixti adhuc illum crassiorem & turbidiorem faciunt quam esset si vapores illi ipsis non admiscerentur, quo fit vt homines etiam vt paulò post Hypp. docebit ab huiusmodi aeris mutationibus afficiātur, quamobrē Hyp. ipse quinto aphorismo tertiæ sectionis dixit, Austri auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes, quando huiusmodi tempestas pręualuerit talia in morbis patiuntur. Illud quoque animaduertendum est, cur Hypp. prius vrbes illas quæ ventis calidis expositæ sunt, australes ventos familiares, & aquas multas subsalsas & sublimes habere, à Borealibus vero tutas esse dixerit, hic autem in vniuersum dicat vrbes quę bene ad solem & ventos sitæ sunt & aquis bonis vtuntur minus affici a mutationibus quam eæ quæ ad solem & ventos male sunt expositæ & aquis palustribus & lacustribus vtūtur, nam hoc pacto id quod in parte est illud quod est in vniuersum prędedere videtur, quo genere docēdi antiqui philosophi nunquam vsi sunt, immo id quod in parte est illi quod est in vniuersum postposuere, dico itaque Hyppoc. hoc ideo fecisse quod doctrina sua hac ratione clarior futura erat, nam regiones illę, quę calidis ventis expositæ sunt semper malę sunt & prauas aquas habēt & manifestiora signa quibus earum natura cognosci possit quam alię malę regiones habeant,

beant, vt ergo firmum aliquod & ſtatũ exemplar nobis traderet cum quo alias malas regiones quæ in infinitum ferè variantur cõferre poſſemus vt earum naturam cognoſceremus ideo ab illis incœpit, & bonis regionibus malas præpoſuit quod nullum exemplar firmum & ſtatum bonarum omnium regionum in vniuerſum nobis tradere poſſet cũ quo omnes alias bonas regiones conferre poſſemus vt facilius earum bonitatem in vniuerſum cõprehẽdere poſſemus, nec ita manifeſta ſigna bonæ regiones habent quibus earum natura cognoſci poſſit, vt regiones quæ ventis calidis expoſitæ ſunt, habent, niſi hic ſit vnus ex his locis qui male ſcriptus ſit nec poſituram ſibi debitam habeat vt bene Iunior quidam affirmat, huius rei tamen liberum iudicium lectori relinquo. ſubdit deinde Hypp.

Et ſi æſtas arida fuerit citius morbi finiuntur, ſi vero pluuioſa diuturniores fiunt & phage denis periclitantur à quacunque occaſione, ſiulcus fiat, ſi autem hyems frigida fuerit homines capita humida atque pituitoſa habere & ventres ipſorum ſæpe exturbari pareſt quod à capite pituita defluat, naturas quoque ipſorum imbecilliores, neque ad comedendum & bibendum idoneas eſſe, nam qui capite ſunt imbecilles boni potores non ſunt, crapula enim magis affligit.

Difficile videtur hunc tex. ſuperiori continuare, in ſuperiore enim egit de vrbibus illis quæ bene vel male ad ſolem & ad ventos ſitæ ſunt, in hoc autem agit de morbis qui in æſtate calida & de iis quę in æſtate pluuioſa fiunt & de iis etiam qui fiunt in hyeme frigida, quamobrem vereor ne poſitus huius loci malus ſit, ſi quid autem de eius continuatione dicendum eſt, credo Hypp. poſtquam in ſuperiori tex. egit de ſitu illarum vrbium quæ bene vel male ſoli & ventis expoſitæ ſunt oſtenditque illas quę bene ad ſolem & ventos ſunt ſitę minus affici à mutationibus cœli quam illę quæ male ventis & ſoli expoſitæ ſunt, nunc nos docere velle de illis mutationibus aeris quę magis affligunt habitantes regiones male ad ſolem & ventos ſitas quam illas quæ bene ſoli & ventis expoſitæ ſunt & dicit, ſi æſtas arida fuerit morbi citius finiuntur quam ſi ea fuerit pluuioſa, tunc enim morbi magis durant, & ſi in æſtate humida aliquod vlcus naſcatur facile in phagedenam

euadit,

euadit, & ad huc citius finiuntur morbi in æstate ficca in regionibus quæ ad solem & ventos bene sitę sunt quam in illis quæ male ad ipsa sunt sitæ & si æstas pluuiosa fuerit morbi ad huc diuturniores sunt in regionibus malis quam in bonis, & vlcera facilius in phagedęnas euadunt in illis quam in his, est autem phagedęna morbus compositus ex vlcere & circumiecto tumore, cutim & ea quæ sub cutæ sunt erodens, quare author diffinitionum medicarum ait phagedenam esse vlcus quod propinqua & adiacentia erodit, id tamen animaduertere opus est, Ianum Cornariũ in translatione sua ita dicere & phagedęnas adedentes ex omni occasione oboriri verisimile est si vlcus fiat, at neque in codicibus græcis qui Basileę à Frobenio neque in illis qui ab Aldo impressi sunt verbum illud adedentes legitur quamobrem ego etiam illud non lego, prę sertim cum ea dictio superfluere videatur, illud quoque considerare oportet aut horem diffinitionum medicarum hac voce phagedęna etiam in alio significatu vti, dicit enim eam significare magnam stomachi intemperiem frigidam quoniam ipse inquit phagedena est constitutio in qua multum appetentes cibum sumentesque immodicum non ipsum retinent, sed vbi eiecerint rursus appetunt, si igitur hac voce phagedęna in prima sui significatione vti velimus, facile crediderim phagedęnam significare morbum illum qui vulgo spina ventosa dicitur, nam morbus hic ex vlcere & tumore præter naturam componitur, cutimque & ea quę sub cute sunt atq; ossa quoque erodit, narrat deinde Hypp. in hoc eodem tex. morbos illos quos hyems nimis frigida facit, qui magis vexant incolas vrbium quę male sitæ sunt quam illos qui bene sitas incolunt, dicitque si hyems nimis frigida fuerit nam suapte natura frigida esse debet, necesse est homines capita humida & pituitosa habere, ventresque ipsorum à pituita quę in ipsos à capite defluit exturbari ideſt nimis fluidos fieri & nonnullis doloribus vexari, esseque malarum regionum incolas natura imbecilles præsertim capite, & ideo non esse ad comedendum & bibendum idoneos, quoniam crapula magis eos qui capite imbecilles sunt affligit quam illos qui capita firma habent, appetunt quidem bene in hac tempestate frigida incolæ tam

bonarum

bonarum quam malarum vrbium & bene concoqunt, siquidem vt inquit Hypp. aphoris. 15. primæ sectionis Hyeme & vere ventres calidissimi sunt sed caput à crapula, nimis lęditur præsertim in malis regionibus, quapropter nec commessatores boni neque boni potores sunt, quorũ effectuum causas indagare opus esset nisi idem Hypp. paulò inferius eas attulisset, inquit deinde Hypp.

Et hi morbi ipsis familiares sunt, primum quidem mulieres morbidę ac fluidæ sunt, deinde multę sunt steriles non natura sed à morbo, & frequenter abortum faciunt, puerulis vero conuulsiones & anhelationes fiunt, quæ puerulum facere et sacrum morbum esse arbitrantur, viris autem intestinorum tormina, ventris fluxus & lentę febres quas ὑπιάλους græci vocant atque diuturnæ hyemales & epinictides multæ & hęmorroides in sede aduenient, pleuritides autem & peripneumoniæ ardentesque febres, & quicumque morbi acuti esse putantur raro aduenient, non enim fieri potest vt cum aluus humida est hi morbi vigeant, lyppitudines vero humidæ nec difficiles & breues oboriuntur nisi aliquis morbus omnibus communis à magna mutatione quæ in cerebro fiat regionem occupet.

Cum in superiori tex. qui hunc proxime antecedit Hypp. nos docuisset de morbis illis quos æstas arida & pluuiosa atque hyems nimis frigida apportant regionibus illis quę male soli & ventis expositæ sunt magis quam illis quę bene sunt sitæ, in hoc tex. narrat morbos illos qui regionibus male soli & ventis expositis vernaculi sunt & inquit has regiones hos morbos peculiares habere, & primum mulieres in illis morbosas & fluidas esse idest multas superfluitates ipsis à vulua & ab aliis corporis partibus in vterum fluere, quod multis crudis excrementis & vterus & totum ipsarum corpus abundet hoc autem significare voluisse Hypp. ea voce ῥοωδέας indicant ea verba quę ipse huic voci subiungit deinde multę steriles non natura sed à morbo, & frequenter ab ortum faciunt nam quia frequenter corpus totum vteris simile est vt Gal. in commentario 62. aphoris. 5. sectionis dicit cum mulieres morbosę sint & ideo multa cruda excramenta habeant vterus quoque ipsarum humidus erit quare steriles fiunt quoniam genitura in ipsis præ nimia humiditate extinguitur sicuti in palustri terra cerealia semina à nimia humiditate suffocantur vt in eo loco cuius testimonio paulò supra vsus sum Gal. affir-

mat,

mat,& propter hanc eandem cauſam hæ mulieres ſæpe abortiunt quod acetabula vteri muccoris plena ſunt quare quod relaxata à nimia humiditate ſint fœtus pondus continere nõ valent ſed diſrumpuntur vt Hypp.45.aphoriſ.quintæ ſectionis ait,quare idem Hypp. in hoc tex. mulieres in his regionibus non natura ſed à morbo ſteriles eſſe dicit ideſt a frigida & humida intẽperie vteri quam facit fluxus crudorum excrementorum quæ à venis & arteriis totius corporis in vterum confluunt & in ipſo vtero etiam gignuntur,quę etiam ſæpius extra corpus ab ipſo vtero fluunt puerulis vero qui in prædictis regionibus ſunt conuulſiones ideſt comitialis morbus & anhelationes fiunt quem comitialem morbum Hypp. in hoc loco ſacrum morbum nominat quod hæc vox ſacer latinis magnum ſignificat vt græcis ἱερός quare Plutarchus in libello de ſolertia animalium dicit maxime admirabilis eſt anthias piſcis quem ſacrum Homerus appellat,& ſi pro magno piſcẽ ſacrum quidam interpretantur quo modo os magnum ſacri appellationem habet & morbus comitialis cum ſit magnus ſacer dicitur & Celſus cap. 23. tertij libri dicit inter notiſſimos morbos eſt etiam is qui comitialis vel maior nominatur, medici quoque communiter os illud quod in extrema ſpinæ dorſi parte eſt quod magnũ ſit ſacrũ appellant,anhelationes quoq; quas græci ἄσθματα nominãt harum regionum pueros vexant & hic modum loquendi quo Hypp.vtitur conſiderare opus eſt inquit enim puerulis vero conuulſiones & anhelationes fiunt quę puerulum facere & reliqua,dicit puerulis conuulſiones & anhelationes fiunt,quæ puerulos facere arbitrantur vt vulgo dicimus hunc illud facere conſueuit videlicet vt morbo tali affligatur vel aliquam rem agat. Nunc videndum eſt qui nam pueruli ſint,Gal.igitur in commentario 27.aphoriſ.tertiæ ſectionis dicit, puerilem ætatem à modo natis puerulis incipere & vſque ad 14 annum durare,poſt quem pubeſcere incipiunt,licet vnus certus terminus pubertatis nõ ſit propter caliditatẽ & frigiditatẽ tẽperaturę, nã calidi citius,frigidi vero tardius pubeſcunt vt eodẽ loco quem paulò ſupra citaui Gal. affirmat. Cętęrum & ſi non eſt vnus certiſſimus terminus tẽporis quo pueruli pubeſcere incipiũt

attamen

attamen pueri omnes paulo ante vel paulo post 14. annum pubescunt. Sed cur morbi comitiales & anhelationes pueros qui vrbes male soli & ventis expositas quam illos qui regiones bene expositas soli & ventis habitant magis vexant? An quia pueruli totũ corpus maximè humidum est vt mollities carnis & ossa eorum quasi cerea indicant, præ cęteris vero partibus cerebrum ipsorum humidum est cum suapte natura cerebrum sit humidum, sed in puerulis propter ætatem multo humidius est quam in adolescentibus & viris id quod etiam in commentario 24.aphoris.tertiæ sectionis Gal. affirmat, sed longe debiliora & humidiora capita habent pueri qui malas regiones quam qui bonas habitant quamobrem magis conuulsionibus vexantur quod multo plures cruditates gignunt quam illi qui in salubribus regionibus sunt quia totum corpus debilius habent cum natura sint imbecilles vt superiori tex. Hypp. docuit, & neruosæ partes propter ætatẽ non dum validæ sunt, Cruditates autem quibus caput horũ puerorum abundat facile in pectus descendunt quoniam pectus capiti continuatur & inter caput & pectus via lata & breuis est aspera scilicet arteria per quam cruda excrementa facile à capite in pectus defluere possunt, quamobrem frequenter anhelationibus corripiuntur. Verum hic aliquis de Hyp. sentẽtia dubitaret quod ipsæ 29.aphoris. tertiæ sectionis enumerans morbos qui iuuenes inuadunt inquit eos comitiali morbo laborare, at in hoc loco hunc morbum puerulos vexare dicit & alibi hunc morbum quod sæpius puerulos inuadat puerilem morbum appellari scribit vt in commentario huius eiusdem aphoris. quem modo citaui Gal. autumat, præterea Hypp. 30.aphoris. 3.sectionis iuuentutem quę 35.anno finitur vt in commentario huius aphoris. Gal. ait anhelationibus laborare inquit, hic aũt puerulos anhelationibus affligi scribit. Respondemus morbos quidem omnes in omnibus ætatibus & temporibus fieri posse vt 19.aphoris. tertiæ sectionis Hyp. dicit, cęterum morbi quidam puerorum alij vero iuuenum esse dicuntur quod facilius & frequentius in illis ætatibus fiant quam in aliis, in quibus si fiunt hoc illis accidit non propter ætatem sed aliqua alia causa, morbi igitur comitiales &

anhelationes pueros vexant propter puerilem ætatem in qua vti diximus corpora humidissima sunt præsertim capita, at iuuenes & viros morbi comitiales & anhelationes raro inuadunt & si quando illos inuadunt hoc eis non euenit, propter ætatem sed propter incontinentiam & malam rationem victus vt in commentariis eorum aphoriss. quorum modo mentionem feci Gal. affirmat, quemadmodum enim senes iuuenibus plurimum ægrotant minus vt 39. aphoris. tertiæ sectionis Hypp. scribit non propter ætatem quæ suapte natura morbis magis patet quam iuuentus, sed propter malam victus rationem, ita morbi comitiales & anhelationes iuuenibus & viris hac eadem causa fiunt, quos intestinorum tormina, ventris fluxus, lentas febres, quas ὑπιάλους græci nominant, diuturnasq; & hyemales ac epinictidas multas & hemorroidas in sede Hypp. in hoc loco vexare dicit, tormina intestinorum quæ græcos δυσεντερίαν nominare Celsus cap. 15. quarti libri affirmat viros nec senes frequenter inuadit quare tertia sectione aphoris. ea inter morbos qui in ætate virili & senectute fiunt Hypp. non numerat, sed hoc in libro intestinorum tormina viris fieri dicit, qui vrbes male ventis & soli expositas incolunt & aquas palustres & lacustres bibunt, nam tales viros tormina intestinorum vexãt præsertim ea tormina quæ à salsa pituita fiunt quoniam hi viri pituita abundant vt supe rius dixi, quæ cum bili admiscetur putrescit & acris salsaque fit quamobrem intestina exulcerat & eorum tormina facit, & enim propter calidum & siccum temperamentum virilis ætatis flaua bile abundant corpora illorum hominum qui eã ætatem agunt, ventris fluxus hos viros frequenter affligit quod multa pituita quæ in illis gignitur cum bili admiscetur & liquidã aluum facit quare sæpius quam ex consuetudine fertur, hic autem animaduertendum est 25. aphoris. tertiæ sectionis Hypp. alui fluxus inter morbos numerare quibus cum dentire incipiunt & præsertim cum caninos ædunt dentes pueruli laborant, & rursus 30. aphoris. eiusdem sectionis eam ætatem quæ vltra adolescentiam est quam Gal. in commentario eius aphoris. a 35. anno exacto incipere & vsque ad 49. annum exactum extendi dicit diuturnis alui profluuiis laborare

borare Hypp. ait quam eandem ætatem alui fluxu vexari in hoc loco Hypp. autumat, sciendum est igitur proximam causam quæ alui fluxum in his duabus ætatibus & in his regionibus facit, eandem esse videlicet multitudinem crudorum humorum, sed causas quæ in his duabus ætatibus & in his vrbibus copiam crudorum excrementorum faciunt diuersas esse, nã causa cur pueruli cum dentire incipiũt & maxime cum caninos dentes edunt cruditatibus referti sunt dolor est & vigilia quæ in causa sunt, vt alimentum non bene coquatur nec bene in membra distribuatur, quamobrem magna copia crudi alimenti in ipsis gignitur, at in iis qui virilem ætatem agũt cruditates gignũtur quod coctio alimenti & eius distributio in partes corporis nõ bene fiat, nã vt in cõmentario trigesimi aphoris. tertię sectionis Gal. dicit ex omnibus ætatibus in ea quę iã ingraueſcere incipit pauciſſimũ ſubſtantię corporis reſoluitur quoniam corpus ita calidum nõ est sicuti prius erat, nec quicquam in eius augumentum consumitur quod hi qui in hac ætate constituti sunt non crescunt, quia igitur ventris profluuia corporibus illis fiunt quę cruditatibus referta sunt eæ autem gignuntur cum corpora alimentum non bene concoquunt nec bene distribuunt quæ duæ causę in ætate quæ ingraueſcere incipit conueniunt, nil mirum si non solum alui profluuia homines in ea ætate cõstitutos inuadunt sed etiam diuturna, at puerulos & illos qui virilem ætatem agunt regio neſque male soli & ventis expositas incolunt & paluſtres ac lacuſtres aquas bibunt his aliis duabus causis cruditatibus abundant, nam aer illos ambiens & aquarum durities & grauitas cruditatum generationem maxime augent. Verum si imminutus calor cruditates gignit eæ autem alui profluuia faciunt cur senes alui fluxu non laborant? vel saltem raro? quamobrem 31. aphoris. tertiæ sectionis cum Hypp. morbos qui senes male habent enumerat nullam mentionem ventris fluxus facit. An vt bene in commentario 31. aphoris. tertię sectionis Gal. animaduertit senes facultatem continendi debiliſſimam habent quare quotidie multi crudi humores ex aluo effunduntur quare cum eorum aluus liquida sit ideoque quotidie satis fluat senes alui profluuio non capiuntur, lentæ

vero febres quas græcis ἡπιάλοι vocantur atque diuturnæ hyemales viros qui prædictas regiones incolunt frequenter inuadunt, sunt autem hepialæ febres illę in quibus calor febrilis & frigus per totum corpus simul sentiuntur haud aliter ac si quis sub maximo solis ardore frigidissima aqua perfunderetur, hic necessario solis calidũ & aquę frigidum simul sentiret vt secundo de differentiis febrium Gal. docet, quod ideo fit quia hę febres ex humore vitreo & acido fiunt qui in minutissimas partes comminutus per totũ corpus dispergitur è quibus quædam partes non dum putrefactæ sunt & hæ corpus frigefaciunt, nonnullæ vero quæ iam sunt putrefactæ corpus calefaciunt, & quamuis vitreus & acidus humor semper sint materia febris hepialę tamen vt dictum est ea pars ipsius quæ nõ dum putrefacta est, frigida, quę vero iam putrefacta est calida sentitur, modicam autem esse putredinem humoris ex quo hępiala febris fit necesse est, nam si putredo vitrei humoris magna esset, primo quidem horrorem faceret deinde cum iam frigus illius humoris à vehementi caliditate superatum esset febrem accenderet vt in loco quem paulo supra citaui & in libro de inæquali intemperie Gal. affirmat; non solum autem hępialas febres harum regionum viros de quibus superius dictum est sed diuturnas & hyemales febres torquere hoc in loco Hyppoc. dicit quod omnes hę febres à pituita fiant & ideo Hypp. hyemales dicuntur, nam hic humor pituitosus scilicet hyeme viget quoniam suapte natura hyemi similis est omniaque suis similibus augentur, quare Hypp. primo libro de natura humana tex. 32. inquit & pituita quidem in homine per hyemem augetur vtpote quæ natura maxime cum hyeme consentiat, est enim omnium humorum quibus corpus præditum est frigidissima, tactu enim omnium humorum qui in corpore sunt frigidissima deprehenditur, hyems autem omnium anni temporum frigidissima & humidissima est, quia igitur hæ regiones quæ male soli & ventis expositę sunt humidissimæ ac frigidissimæ sunt, nil mirum si earum incolæ pituita abundant, ideoq; morbi qui ex eo humore fiunt eos frequenter inuadunt vt sunt hepialæ, diuturnæ & hyemales febres, præsertim si ipsi aquis paluſtribus

&

& lacuſtribus vtuntur quæ graues & crudæ ſunt vt paulò inferius videbimus. Cęterum quia in his regionibus de quibus dixi non ſemper hepialæ febres fiunt quod humor pituitoſus non ſemper modice putrefit nec in minutiſſimas partes per corpus diſpergitur ideo incolas earum vrbium quarũ ſitus malus eſt non ſolum hepialis febribus ſed diuturnis & hyemalibus frequenter vexari Hyp. dixit, duabus autẽ cauſis morbi in hyeme & in his regionibus de quibus dixi diuturni ſunt, nam eo tempore & in illis regionibus pituita viget qui humor frigidiſſimus craſſus & viſcidus eſt quamobrem difficulter in halitum reſoluitur, præterea aeris corpora ambiẽtis humiditas non ſinit exiccari humorum exuperantiam qui in corpore ſunt vt Gal. in commentario 11. aphoriſ. tertiæ ſectionis affirmat, Epinictides quoque viros qui prædictas regiones incolunt frequenter torquent, ſunt autem epinictides è genere puſtularum quæ quod noctu frequenter oriantur & magis eo tempore homines male habent à nocte epinictides grecis nominantur vt Gal. 2. methodi affirmat, colore autem rubro vel ſubliuido vel ſubnigro vel albo ſunt, & cum adaperiuntur exulceratio quędam muccoſa intus reperitur à qua ſanies ſub cruẽ ta effluit, quamobrem Aetius illas puſtuloſa vlcuſcula appellat, fiũt autem hę puſtulę ex atra bile & pituita vt ipſarũ color indicat, quapropter noctu ſpon te erumpunt quod omnis humor eò tempore vigeat & moueatur quod ſuæ naturæ ſimilius eſt, cum igitur hę puſtulę ex humoribus frigidis fiant noctu frequẽtius erumpunt quã die tuncq; magis hominem torquent quod nox die frigidior ſit ideoque humoribus ex quibus ipſę fiunt magis ſimilis, prę terea calor naturalis noctu ad interiores corporis partes ſe colligit quamobrem in nocte valentior eſt ad expellendum noxios humores ad cutim quam in die, habitatores autem harum regionem ab huiuſmodi puſtulis crebro vexantur quod propter aeris craſſitiem & turbiditatem & paluſtrium ac lacuſtrium aquarum potum multa pituita & multi humores melancholici in ipſis gignantur, hæ morroides etiam in ſede iiſdem accidere conſueuerunt quod ipſæ quoq; ex pituita & humore melancholico fiant, nam cum bilis vel phlegma in in

testinum rectum descendunt & in eo constringuntur sanguinem qui in illis venulis est calefaciunt at venulæ illæ cum calefactæ sunt à venis quæ vicinæ sunt sanguinem ad se trahunt & cum eius plenę sunt interior intestini pars tumet & ora venarum tanquam ex capitulis quibusdam surgunt & à stercore qui per intestinum exit compressæ & à sanguine qui iam ibi collectus est coactę sępe cum stercore sāguinem fundunt, interdum autem & sine stercore vt Hypp. in libro de hęmorroidibus dicit, cum igitur hic morbus ex pituita & humore melancholico fiat quorum magna quātitas in his regionibus gignitur vt paulo supra probaui iure hic morbus prædictarum regionum incolas crebro inuadit, morbi autem acuti vt sunt ardētes febres, pleuritides, & peripneumonię qui morbi notissimi sunt quod ex humoribus calidis tenuibusq; fiant & quod aluus eorum liquida sit sæpiusq; fluant, prędictarum regionum incolas raro inuadunt, lippitudines vero humidæ faciles & breues hos homines frequenter vexant, est autem lippitudo inflammatio eius membranæ oculi quæ corneę adnata est vt Gal. in libro de differentiis morborum dicit, at in his regionibus de quibus dixi lippitudines humidę fiūt quoniam vt in superiori tex. Hypp. affirmat homines qui has regiones habitant capita humida & debilia habent ideoque fluxionibus humidis & aquosis tentantur quæ in oculos decumbentes liquidas lippitudines faciunt vt commētario tex. 48. tertij commentarij in tertium lib. Hypp. de morbis vulgaribus Gal. dicit, sed hæ lippitudines faciles & breues sunt quoniam alui eorum hominum humidæ ac liquidæ sunt ideoque sæpius fluunt, si vero aliquis morbus omnibus communis regionem occupet & magnam mutationem in cerebro faciat adeo vt illud humidissimum reddat tunc lippitudines quidem humidæ erunt sed propter magnam humorum crudorum copiam longæ diuturnę & difficiles erunt vt illæ fuere de quibus Hypp. scribit loco illo cuius testimonio nunc vsus sum, nam quod annus austrinus pluuius & à ventis in totum silens fuerit multa pituita crassa & tenuis genita est quæ eas lippitudines fecit quas Hypp. ibi describit, sed hic animaduertendum est in codicibus græcis quos Aldus & Frobenius

im-

impreſſere neque in codicibus latinis ea verba à magna mutatione quę in cerebro fiat non legi ſed in quibuſdam huius libri correctionibus quę Patauio ad me miſſæ ſunt hæc verba leguntur quę mihi legi debere viſa ſunt, inquit deinde Hypp.

Et cum quinquageſimum annum exceſſerint deſtillationes à cerebro ſuperuenientes, cum illis caput de repente inſolatum vel frigefactum fuerit eos ſemiattonitos faciunt. hi quidem morbi ipſis familiares ſunt, & ſi quis morbus omnibus communis propter horarum mutationem, regionem occupet eius quo que participes fiunt.

Poſtquam Hyppoc. narrauit morbos qui puerulos & viros male ſitas regiones habitantes, torquent, nunc docet nos de morbis illis qui ſenes affligunt qui has eaſdem regiones habitant, & in hoc loco animaduertendum eſt Hypp. in ſuperiori tex. intra pueritiam adoleſcentiam & intra virilem ætatem iuuentutem complecti, at vero quia in hoc loco dicit & cum 50. annum exceſſerint de primo ſenio qui virilitati continuatur ſe loqui demonſtrat, virilitas enim circa 49. annum exactum finitur, poſt quem ſenectus incipit quę in duas partes diſtribuitur videlicet in primum ſenium & vltimum ſenium vt Gal. in commentario vltimi aphoriſ. tertiæ ſectionis dicit, intra primum ſenium igitur Hypp. vltimum ſenium complectitur vt intra pueritiam adoleſcentiã & intra virilitatem iuuentutem quoque in ſuperiori tex. complexus eſt, quamobrem indefinite loquitur dicens & cum 50. annum exceſſerint quantumcunque deinde viuant, vel primi ſenij tantum meminit quoniam ipſe in hoc loco nõ vult loqui de morbis qui ſenibus propter ætatem accidunt, ſed de illis qui in ætatibus fiunt propter aerem regionum quæ male ſoli & ventis expoſitę ſunt, qui morbi ſi in primo ſenio fiunt multo magis in extremo fient, in quo homines longe debiliores ſunt quam in primo, at vltimo aphoriſ. tertię ſectionis quod loquitur de morbis qui in vltimo ſenio homines propter ætatem male habent multo plures morbos ſenes vexare dicit quam hic dicat, morbos autem qui homines in primo ſenio conſtitutos torquent in eo aphoriſ. tacuit quia hanc ætatem intra virilitatem complexus eſt, inquit igitur in hoc tex. homines qui prędictas regiones incolunt cum 50. annum tranſierint diſtil

ATENEO VENETO VENEZIA

lationibus qui à cerebro superueniunt vexari, at quia non loquitur de distillationibus quæ prędictis hominibus propter ætatem fiunt sed de illis quæ iis adueniunt propter aerem qui eos ambit ideo dicit eos his distillationibus vexari quando caput eorum de repente insolatum vel frigefactum fuerit quæ distillationes ita concitatę illos semi attonitos faciunt, nam propter ætatem ij homines non sunt adeo capite imbecilles vt nisi aliqua alia causa extrinsecus accessisset tam grauibus & vehementibus distillationibus correpti fuissent, ideo autem cum eorum capita insolantur distillationibus corripiuntur quoniam & multis cruditatibus referta sunt vt superius dixit Hypp. quæ à sole de repente liquefactę caput grauant & in membra descendunt eaque pigra & ferè immobilia faciunt illorumque sensus hebetant quapropter illos semi attonitos reddunt, si vero capita illorum sensim insolantur cruditates illę, quę in capite sunt statim non liquefiunt sed paulatim à sole in halitum resoluuntur nec homines semi attonitos reddunt, ideo autem homines qui hac ætate sunt ab his insolationibus magis lęduntur quam hi qui iuuenilem & virilem ætatem agunt quoniam senes corpus longe imbecillius habent quam iuuenes & viri habeant & ideo a causis extrinsecis magis quam illi afficiuntur vt Gal. etiã in commentario trigesimi aphoris. tertiæ sectionis affirmat, idem senibus accidit qui regiones quarum situs malus est incolunt si capita eorum de repente frigefiant sed alia ratione, nam caput à repentino frigido statim constringitur quamobrem cruditates quæ in eo sunt exprimuntur & ita expresse caput grauant & in membra descendunt eaque refrigerant & humectant quamobrẽ illa torpent hominesque ideo semiattoniti fiunt, hi morbi igitur senes qui prædictas vrbes incolunt crebro affligunt & ipsis familiares sunt. Cęterũ quia Hypp. in hoc loco nõ docet de iis morbis qui propter ętatẽ senibus proprij sunt sed de illis qui senibus accidunt quod male sitas regiones habitent ideo dicit senes quoque affligi illis morbis qui omnibus communes fiunt propter aeris mutationem quod hi totam regionem occupent. Id tamen notãdum est austros de quibus hucusque Hypp. loqutus est omnes hos morbos

de

de quibus Hypp. dixit regionibus illis quę ipſis expoſitæ sūt, importare. Cæterū multo plures & lōge periculoſiores morbos interdum illis apportare propter aliquam morbiferam vim quam ipſi acquirunt à locis per quos hi venti tranſeunt, adeo vt ſæpius naturam mutent & ex humidis ſicci fiant vt Auſter cui vento Emilia patet & in ea regione Corina vulgo dicitur qui vehementiſſimas ac periculoſas febres illi regioni apportat quod per Apenninum & eius appendices ac valles & anguſta loca eorum montium tranſeat à quibus vim ita mortiferam acquirit vt cum ipſe æſtate ſpirat vna & eadem die omnes eius regionis incolę febribus corripiātur, licet feneſtræ omnes & hoſtia claudantur ne in domos impetus eius penetrare valeat, vina quoque putrefiunt & herbæ ac plantę corrumpūtur, quod ideo fit quia humiditatem quam ſuapte natura habet in prædictis vallibus & montibus deponit ac ſiccitatem acquirit quę illius caliditatē auget & igneā reddit, ſi quidem ſiccitas caliditatem exacuit & eam vehementiorem facit quamobrem à iunioribus caloris lima dicitur, id quod alicui falſum fortaſſe videbitur ſiquidem Hypp. quinto aphoriſ. tertiæ ſectionis omnes morbos quos Auſter facit ab eius humiditate fieri ſignificet, nam auditum hebetare, caput grauare, caliginoſos eſſe, homines pigros facere eoſque diſſoluere nimię humiditatis effectus ſunt quam ſi in vallibus & montibus Apennini ipſe deponit ſalubrem & non morbidam vim in Emilia habere deberet, dico igitur morbos quos eo loco cuius paulo ſupra mentionem feci ab Auſtro Hypp. fieri dicit, omnes ex illius nimia humiditate naſci, ſi igitur Auſter in montibus ac vallibus Apennini nimiam humiditatem ſuam ſolum deponeret ſalubris in Flamminia eſſet, at quia ſiccitatem acquirit & impetum eius caliditas & impetus ita augentur vt præ vehementi impetu & nimia acriq; eius caliditate mortiferam cladem hominibus, herbis ac plantis conflare valeat, id quod Aethrurię non accidit quoniam ipſe à loco calido & humido oritur & ſtatim ad eam regionē peruenit, quamobrem humiditatem illam quam ipſe habet à loco à quo ſpirat non ammittit & leniter calefacit quoniam nimia ſua humiditate caliditas eius obtunditur, nimis autem

hume-

humectat quamobrem in ea regione eos morbos solum facit qui ab humiditate fiunt quos eo loco cuius testimonio paulò supra vsus sum Hyppoc. enumerat, at vero cum ego dixerim Austrum suapte natura calidum & humidũ esse videtur hoc dictum Gal. sententiæ repugnare qui in primo commentario primi libri Hypp. de morbis vulgaribus hunc ventum interdum frigidũ esse affirmat cum ait nam in nostro tractu aquilo frigidus est, Auster vero calidus nisi forte quod rarum est ineunte vere frigidus sit aut alio quopiam anni tempore aliquantisper talis spiret; at qui ne tum quidem est aquilone frigidior, dico itaque Austrum calidum & humidum esse, si vero interdum frigidus est id raro euenit eiusque frigiditas remissior est & parum durat ac sepe eam frigiditatem acquirit in eo ipso loco in quo spirat ab eius tempestate, vt si in ea regione in qua flat multæ niues adhuc fuerint vel eius tempestas aliqua alia causa ita frigida fuerit vt Austrum qui suapte natura calidus est & humidus frigidum pro paruo tempore reddere valeat.

Quęcunque vero contra ac hę sunt sitę, frigidis ventis expositæ qui sunt mediį inter ęstiuum occidentem & orientem ęstiuum & hi venti ipsis familiares sunt, ab Austro autem & ęstiuis ventis sunt tectę, de iis vrbibus sic se res habet, primum quidem aquę crudæ & frigidę plurimum dulcescunt, homines autem robustos & siccos esse necesse est, & plures inferiores ventres astrictos, superiores autem fluidiores ac potius bilioſos quam pituitoſos habere, capita vero salubria & firma habent rupturisq; laborantes sæpius fiunt.

Postquam Hypp. dixit de illis regionibus quæ ventis calidis & Australibus expositæ sunt nunc de illis dicit quæ ventis qui his sunt contrarii ij autem sunt venti frigidi & boreales patent, hos autem dicit esse omnes ventos qui ab ea cœli plaga spirant quæ inter æstiuum occidentem & orientẽ æstiuum est, procedendum est autem ab oriente æstiuo versus æstiuum occidentem per Borealem plagam non autem per australem vt prius processimus, in iis vrbibus igitur quę hunc situm habent aquas crudas frigidasque sępius dulcescere Hypp. ait ideſt mitiores & potui idoneas fieri, adeo vt facilius coquantur & in corpus distribuantur, non enim probo sententiam Iunioris illius docti sanè viri & accurati qui hunc librum

brum interpretatus est, nam ipse hunc locum exponēs inquit Hypp. cum dicit aquas in his regionibus dulcescere, significare voluisse eas saporem omnem ammittere quod frigus consumit & ab ipsis exprimit omnē materiam sapori gignendo idoneam, quamobrem eæ indomitæ & crudæ tardique transitus fiunt, legumina in ipsis tardissime elixantur ipseque tarde calefiunt atque frigefiunt, quod Hypp. dictum ille vult de aquis quę subdiu sunt non autem de subterraneis intelligi, quę sententia dubia & incerta mihi videtur, nam Hypp. non loquitur hic de aquis palustribus vel lacustribus nec de aquis fluminum quæ sub diu sunt, nam de his aquis ipse tertio capite huius libri dicit, quamobrem dicere opus est Hyp. in hoc loco de aquis fontium & puteorum loqui hæ enim a calore qui in cauernis terræ est coquuntur & mitiores fiunt & ideo dulces dicuntur quoniam omni sapore carent & ideo dulces quasi suaues dicuntur vt superius dixi nec ab aeris frigiditate sapore priuari & crudas fieri possunt, nam nos videmus has aquas hyeme calidas æstate vero frigidas esse quod ab interno calido & frigido eius loci à quo oriuntur frigiditatem, caliditatem, dulcedinem, claritatem ac tenuitatem habeant, non autem ab aere qui eas ambit postquam illę è terra eruperint vt aquæ illę quæ à locis extimę superficiei terrę vicinis oriuntur, æstate calidæ hyeme vero frigidæ sunt quoniam à frigiditate & caliditate aeris extrinseci afficiuntur & has sublimes Hypp. superius appellauit, prętерea si ab aeris frigiditate ex aquis exprimeretur omnis materia sapori gignendo idonea & ideo eæ crudæ fierent & dulces, dulcedo malitia aquę esset & non bonitas, at aquas omnes vt dulces sunt bonas esse cuncti asseuerāt, præterea Hyppoc. hic inquit homines qui regiones illas incolunt quæ ventis frigidis borealibusque sunt expositæ esse robustos sanos & bene valentes, at illi tales non essent si ipsi crudis & indomitis aquis vterētur, nam vsus crudarum aquarum homines valetudinarios & imbecilles faciūt vt paulò supra Hypp. dixit, quamobrem ego crediderim cum Hypp. dicit aquas crudas & frigidas in his regionibus dulcescere, significare velle aquas quæ crudæ & frigidæ sunt quod in locis à sole auersis oriuntur vi caloris

ris qui in cauernis terræ in quibus hę gignuntur multa est quoniam à frigiditate aeris extrinseci in illas cauernas impellitur & in eis constringitur & vnitur, dulcescere, idest bonas fieri & potui idoneas, quare homines qui eas regiones habitant & à puritate aeris & ab vsu harum aquarum sani & bene valentes fiunt, nec me prȩterit sententiam Gal. esse primo libro de sanitate tuenda aquas quæ contra septentrionem fluunt & à sole auersę sunt quarumque fons è petra scaturit difficilia concoctu tardique transitus esse & tarde calefieri frigefierique putandum esse, vt sunt aquæ illę quæ in agro Florentino quem Clusentinum vulgo dicunt vbi cœnobium sodalitatis Diui Benedicti quam Camaldulensem vocant situm est, quæ omnes crudæ & concoctu difficiles sunt quãuis æstate frigidę hyeme vero calidę sint, at in ea Apennini appendice quę prædictis locis satis vicina est & ab agro illo quem Clusentinum appellari paulò supra dixi superiorẽ Arni vallem separat & Pratum magnum dicitur fons in eius suprema parte erumpit cuius aqua limpidissima est æstateque gelidissima hyeme vero calida nec tamen cruda est sed cito prȩcordia transit, illę aquæ etiam quæ in ea Apennini appendice oriuntur quam Vmbrosam vallem dicunt vbi Cœnobium sodalitatis Diui Ioan. Gualberti est crudę itidem atque difficiles concoctu sunt licet hyeme calidę æstate vero frigidissimę sint, hę enim aquę omnes illam Prati magni excipio adeo crudæ sunt vt sodales illi qui ea cœnobia habitant illas elixare cogantur antequam ipsas bibant, eæ aquę etiam quæ in ea parte Apennini nascuntur vbi Cellæ illæ sunt quas Diui Romualdi Cellas dicunt ita crudæ sunt vt si equi eas frigidas bibunt statim eos male habeant, quare illi qui ibi habitant vel eò aduenium eas elixant priusquam ipsas equis potui dent, at in ea Apennini parte quæ supra Pistorium est, aquæ æstate frigidissimę hyeme vero calidę sunt sed cito frigefiunt & calefiunt citoque prȩcordia transeunt & in summa crudæ non sunt, illæ quoque quæ in illis Apennini appendicibus erumpunt quę supra Feroniæ Fanum sunt quem locum hodierna die Petram sanctam appellãt, gelidissimæ æstate sunt, crudæ vero minime, nihil igitur perpetuum de iis fontibus

qui

qui contra borealem plagam fluunt & à sole auersi sunt affirmari potest, quamobrem Hypp. non dixit absolute aquas crudas, & gelidas quæ in his regionibus sunt dulcescere sed plurimum dulcescere quoniam fieri potest vt interdum non dulcescant vt euenit aquis illis qui in prædictis Apennini partibus nascuntur in quibus aquę crudę sunt cõtra ac in illis mõtis eiusdem partibus eueniat in quibus aquæ quamuis frigidę sint crudæ tamen non sunt, quamobrem Gal. 1. de tuenda sanitate non dixit absolute aquas quę contra Septentrionem fluunt & a sole auersæ sunt ægre concoqui, tardi transitus esse & tarde calefieri frigefieriq; sed eas tales esse putãdum est, quoniam certa regula naturę talium aquarum assignari non potest. Modo causam inuestigare opus est cur ex iis aquis quę contra borealem plagam fluunt quędam crudę sint quędam vero minime, dico igitur aquas illas quæ contra Septentrionem fluunt interdum non esse crudas quoniam à frigiditate aeris extrinseci calor in cauernas terræ impellitur in quibus hę aquæ gignũtur & in illis in vnum coit quamobrem aquas illas coquit, attenuat & expurgat quare ipsæ cito præcordia transeunt leguminaque in illis cito coquũtur & ipsæ cito calefiunt frigefiuntque, sed hyeme calidę sunt quoniam maior est frigiditas aeris extrinseci quam æstate quare vehemẽtior & maior fit impulsio caloris in cauernas terræ quam æstate cum frigiditas aeris non est ita vehemens sicut hyeme, quare calor non solum attenuat & expurgat sed etiam calefacit eorum fontium aquas quæ in illis regionibus erumpunt, æstate vero is est vt eas attenuare & expurgare valeat non autem calefacere quoniam frigiditas quæ intra cauernas terræ recessit eas afficit & frigidas reddit, illæ autem aquę quæ contra eandem plagam fluunt ideo interdum crudę sunt quod vapores è quibus cum attolluntur aquæ illæ gignuntur crassi & terrestres sunt quia ab vliginosis, limosis, cœnosis, vel petrosis, fundis attolluntur quamobrem calor qui in illis terrę visceribus includitur aquas quæ ex ipsis gignuntur & eorum naturam sapiunt ita defecare & attenuare non valet vt duritiem & cruditatem terrenamque fęcem quam à vaporibus illis è quibus eæ gignuntur contraxere pœnitus deponant &

tenues

tenues fiãt quare ipsæ neque cito calefiunt vel frigefiunt nec præcordia cito pertranseunt neque legumina in eis cito elixari possunt, manifestissimum autẽ indicium cruditatis aquarum est si quis ipsis manus abluat asperrimas enim ac durissimas manus faciunt quod ab earum terrena natura fit quę eas crudas ac indomitas reddit, homines autem qui has regiones incolunt ideo rubusti & sicci sunt quod Boreas frigidus & siccus est quamobrem superfluas humiditates quæ in eorũ corporibus gignuntur exiccat & ab ipsis exprimit, robusti vero hi iidem homines sunt quoniam Boreas corporum substantiam cogit & densat innatumque calorem intus pellit & constringit quare ipse in se ipsum coit validiorque ideo fit & omnes actiones tum animales tum naturales validius ædit, eæ enim omnes à calido innato fiunt vt Gal.in commentario 17.aphoris.tertiæ sectionis affirmat, vẽtres autem incolarum harum regionum difficulter aliquid reddunt ac duri sunt quoniam hæ regiones frigidę & siccę sunt & ideo corpora animantium quæ illas habitant exiccant,habitus autem corporis eorum ita exiccatus omnem humiditatem quę ex alimento fit ad se trahit quare venter difficulter aliquid reddit durusque fit,quod etiam alia causa cuenit, nam feces cum diu in ventre retinentur magis exiccantur & ideo difficilius è corpore excernuntur vt Gal.in commentario 5.aphoris.tertię sectionis affirmat, ventres vero superiores fluidos humidosq; habere hos homines necesse est quia in extimis partibus capitis & totius habitus corporis à valido frigore aeris earum regionum multa pituita gignitur quę deinde ab eadẽ frigiditate per palatum,nares & oculos exprimitur,ideoque hi homines ventres superiores humidos habẽt magis quæ bilioſos quam pituitoſos quę verba tam ad superiores ventres quam ad inferiores referenda sunt,nam à vi caloris qui in internis corporis partibus multus est vt paulo supra dixi, bilis gignitur copiosa,quę postea pituitę; quę in extimis capitis & totius habitus corporis gignitur, admiscetur & eam inficit, quare excrementa quę a capite defluunt magis bilioſa quam pituitoſa sunt,si quidem palatum & nares sępissime excoriãt, feces quoque propter multam bilem quę vt superius dixi in

in fe-

inferiori ventre gignitur & ipsis admiscetur biliosę sunt. Habent quoq; hi homines capita firma & salubria quoniam frigiditas & siccitas cœli harum regionum, humiditates à capite exprimit consumitque quapropter ea firma fiunt & salubria, rupturęq; sæpius fiunt vasorum scilicet vt Gal. cap. vlt. libri quarti de locis affectis dicit quod vasa à frigiditate magis rigida & tensa fiunt nec facile dilatantur ita vt sanguinis multitudinem quĩ in ipsis est continere possint, quamobrem ab eius copia rumpuntur quare Hypp. 6. de morbis vulgaribus dixit frigidum valde venas frangit, sed in his hominibus non sola cœli frigiditas vasorum rupturæ causa est sed etiam copia sanguinis quæ in ipsis gignitur ab innato calore quod ad internas corporis partes à cœli frigiditate impellitur & in ipsis constringitur vt paulò supra dixi.

Hi autem morbi ipsis familiares sunt, pleuritides multę & morbi qui acuti æstimantur, sic autem habere oportet, cum ventres astricti sint multi facile tabescunt, huius causa est corporis tensio & alui astrictio, siccitas enim & aquę frigiditas faciunt vt rupturis laborent, tales autem naturas voraces non autem bibaces esse necesse est, non enim fieri potest vt voraces ac bibaces simul sint, lippitudines vero per temporum interualla durae autem & graues confestimq; oculos rumpi, iunioribus autem 30. annis, sanguinis è naribus magna profluuia æstate fieri, & morbos qui sacri dicuntur, hos quidem paucos, at graues, longeuos autem hos homines magis quam alios esse verisimile est, vlceraq; non pituitosa nasci neque maligna fieri, mores vero magis agrestes quam lenes, viris quidem hi morbi peculiares sunt, & seorsum si quid omnibus commune occupet ex horarum mutatione.

Et si regiones illæ, quę ventis frigidis & siccis patent salubres sint, attamen nonnullis morbis vexantur quos Hypp. in hoc tex. enumerare aggreditur, quamobrem fortasse melius esset si ab vltima superioris tex. parte hunc tex. inciperemus vbi Hypp. in prædictis regionibus multos venarum rupturis laborare dicit, at quia Hypp. post ea verba vbi venarum rupturis laborantes fiunt, statim proponit velle se de morbis qui his regionibus peculiares sunt, dicere, ideo ego hunc tex. incipiam ab eo ipso loco in quo ipse proponit velle se dicere de morbis qui plurimum harum regionum incolas male habent, inquit igitur pleuritides & morbos acutos hos homines plurimum inuadere, necesseq; esse rem ita se habere scili-

cet

cet vt ipſi his morbis laborent quod eorum ventres adſtricti ſunt quare calor in interioribus ſedibus corporis detinetur & in vnum coit nec perflatum habere valet, quamobrem multos humores tenues ac bilioſos gignit qui cum per cutim excerni nō poſſint ſiquidem ea ab aeris frigiditate adſtricta eſt, putreſcunt morboſque acutos faciunt quod hi à tenuibus & calidis humoribus plerumque fiant præſertim hi qui ſimpliciter & proprie acuti ſunt qui vel ipſimet febres continuæ ſunt vel ipſis continuæ febres ferè ſemper accedunt vt in cōmentario 18.tex.commentarij primi in lib.Hypp. de ratione victus in morbis acutis & in commentario 14.aphoriſ.ſecundæ ſectionis & ſecundo de dieb.decretoriis Gal.quoque affirmat, nam cum humores calidi bilioſi & tenues huc illuc per venas feruntur ſæpe in latus decumbunt quod in Thorace multæ & magnę venę ſunt, calor autem ſanguinis qui in ipſis eſt à continuo pectoris motu augetur quare ſanguis ex calefactus in capillaceas venas quæ magnis vicinæ ſunt funditur quæ ipſum continere nequeuntes dilatantur & in muſculos thoracis vel in membranam coſtas ſuccingentem effundunt eamq; inflāmant & pleuritidē faciunt, at vero quia venarum tunicę à nimia sāguinis copia tēduntur & à ſanguinis calore exiccantur ideo facile rumpuntur quam rupturam tabes plurimum ſequitur quia ſanguis qui è Thoracis venis profunditur in pulmonem facile fertur quod laxa & ſpongioſa ſubſtantia ſit & continue moueatur quare fluxus allicit eoſque facile recipit à quibus ipſe exulceratur; exulcerationē vero pulmonis tabes ſequitur, tenſionem autem tunicarum potus aquarum quæ æſtate actu frigidiſſimæ ſunt conſtringendo augent quo tēpore etiam pleuritides & morbi propriè acuti homines inuadere ſolent. Cum igitur ab alui adſtrictione ac duritie omnia hæc mala quę dixit Hypp. fiant, videndum eſt cur harum regionum incolæ aluus adſtrictas habeant, præſertim cum frigiditas aeris non poſſit ad interiores corporis ſedes peruenire adhuc viuente animali adeo vt excrementa quę in ipſis & præſertim in ventre continentur dureſcant & veluti congelentur, dico itaque hoc fieri quia calor propter cœli frigiditatem intro refugit quamobrem in interioribus corporis

poris ſedibus alimẽti concoctio & eius diſtributio in omnes corporis partes melius fiunt, quare feces exiccatæ dureſcunt & ægrius è ventre emittuntur diutiuſq; in eo permanent, muſculi enim qui in imis inteſtinorum partibus à natura impoſiti ſunt vt ſedem claudant à frigore aeris qui animantium corpora ambit conſtringuntur & in anguſtum rediguntur, quare conſtrictoria inteſtinorum vis deorſum incipiens ſurſum verſus excremẽta propellit, quapropter ipſa diutius in ventre retinentur, frigus namque cum circa extimas corporis partes eſt, contrarium operatur ac ipſum operetur cum in interioribus corporis ſedibus eſt, nam cum illud circa extimas corporis partes eſt interiores corporis ſedes calidiores efficit & ſiciores, cum autẽ in interioribus corporis ſedibus eſt, illas humidiores reddit, vt alui fluxus qui refrigeratis interioribus ventris partibus fiunt manifeſte indicant & Gal. in quinto cõmẽtario in ſextũ librum Hypp. de morbis vulgaribus in commentario 27. tex. & in cõmentario 5. aphoriſ. tertiæ ſectionis affirmat. Ideo autem hæ aquæ actu frigidiſſimæ ſunt, vel quia ſunt crudæ, vt ſunt nonnullæ aquæ quæ in his locis erumpunt, vel frigidę ſunt quia & ſi cum è fonte ſcaturiunt hyeme calidę ſunt, tamen quia cito calefiunt & frigefiunt, à frigore cœli citiſſime refrigerantur, æſtate autem frigidiſſimæ ſunt etiã cum è fonte oriuntur nec ab aeris caliditate longe à fonte calidæ fiunt, quod in his regionibus cœli caliditas æſtate non eſt ita vehemẽs ſicut hyeme eſt frigiditas, prętereа aqua cum ſuapte natura frigida ſit facilius ab aeris frigore quam ab eius calore afficitur, nec homines eam ſemper ab ipſo fonte bibunt ſed ſæpe illam è fonte hauriunt & poſt aliquod tempus ipſam bibunt, quamobrem & cum bibitur hyeme, frigidiſſima eſt. Id tamen notandum eſt morbos ſimpliciter acutos æſtate plurimum fieri vt in aphoriſ. 21. tertiæ ſectionis Hypp. affirmat, fiunt tamen etiam hyeme ſed ſemper ab humoribus calidis biliоſis & tenuibus gignuntur, quibus regiones frigidis & ſiccis ventis expoſitæ, propter prędictas cauſas abundant, at æſtate propter nimiam cœli caliditatem in corporibus plurima bilis gignitur, quamobrem morbi acuti qui æſtate fiunt ab eadem proxima cauſa gignuntur ac morbi acuti

qui hyeme oriuntur. Harum autem regionum incolas voraces non autē bibaces esse Hypp. in hoc loco affirmat, cuius rei hanc rationem reddit, & enim si hi homines voraces sunt bibaces simul esse non possunt, nam stomachus cum cibi plenus est non potest etiam potu impleri, quæ ratio optima est, sed modo videre oportet cur hi homines voraces potius sint quā bibaces præsertim cum nos videamus Germanos Belgas & Batauos bibacissimos esse, dico igitur harum regionum incolas ædaces esse magis quam bibaces, quod eorum vētres propter causam quam paulo ante dixi calidissimi sunt, quare multum consumunt, ideo solidiore alimento indigent quam illud sit quod potus prestat, nam potus licet citius quam cibus nutriat, citius etiam quam cibus consumitur & consumptio illa quam calor facit exigat, & ideo longe magis voraces sunt quam bibaces, præterea ventres eorum qui has regiones habitant naturali calido calidi sunt quod in substantia humida fundatur, quamobrem non multam sitim concitat, quapropter adolescentes qui plurimum innati calidi habent vt 14. aphoris. primæ sectionis Hypp. textatur ædaces sunt non autem siticulosi, Germani autem Belgæ, & Batavi & si bibacissimi sunt hoc non fit à qualitate cœli sub quo ipsi degūt quod ipsos voraces non autem bibaces facere deberet, sed à quadam consuetudine quæ apud ipsos inualuit multum bibendi, cum autem potus pleni sunt cibo rursus impleri non possunt, si vero Germani hyeme antequam domo exeant multum vinum flauum & generosum à nimia & vehementi cœli frigiditate bibere coguntur ne ab ea calor innatus extinguatur, vinum enim non solum celerrime nutrit & vt nutrimentum est corpora calefacit, sed etiam cum potētia calidum sit cum ab innato calore actu calidum fit, sua caliditate corpora calefacit, id non prohibet ne cum illud iam consumptum est ipsi quoque multum comedere non possint, at hoc facere nō valent cum satis superq; vino impleti sunt vel impleri volunt vt in conuiuiis facere consueuerunt, quod calor innatus non potest eo temporis interuallo quod inter ientaculum & prandium est vel inter prandium & merendam aut inter merendā & cenam tantum vini quantum ipsi bibunt concoquere & in

san-

ſanguinem tranſmutare. Grauibus autem duriſque lippitudinibus & oculorum ſubitis rupturis per temporum interualla hi iidem homines laborant, quoniam à cœli frigore humores è capite exprimuntur & in oculos qui ſuapte natura laxi ſunt feruntur, graues autem has lippitudines eſſe neceſſe eſt quod capita eorum qui has regiones incolunt robuſta ſunt vt paulò ſupra Hypp. dixit, quamobrem non niſi à valida cauſa infeſtari poſſunt, validæ autem & potentes cauſę graues morbos facere conſueuerunt, his vero lippitudinibus per temporum interualla corripiuntur, quia cœli frigiditas non ſemper ea eſt vt tales lippitudines concitare valeat, duræ autem ſunt quia ſiccæ, nam durities ſiccitatem comitatur vt ſuperius dictum eſt, ſunt autem ſiccæ lippitudines illę in quibus nihil ex oculis excernitur, quod ideo euenit quia extrinſecæ oculi tunicæ ab aeris frigiditate ita conſtrictę & denſatæ ſunt vt aliquid extra oculos fluere non ſinant vt in commentario 12. aphoriſ. tertiæ ſectionis Gal. affirmat, quod vero oculorũ tunicæ denſatæ & conſtrictæ ſint humores autem tunc temporis in oculos continue ferantur in illiſque retineantur, eorum tunicę humorum copiam continere non valentes confeſtim rumpuntur, comitialibus autem morbis paucis quidem ſed grauibus hos homines laborare Hypp. inquit, ſed cum tria genera ſacri morbi ſint, videndum eſt an de vno illorum tãtum vel de duobus aut de omnibus Hypp. in hoc tex. loquatur, primũ igitur ſacri morbi genus eſt, cum multi humores craſſi & viſcidi ſiue ij pituitoſi ſiue melancholici ſint in capite adunantur, deinde in vẽtriculos cerebri feruntur & ſpirituum animalium tranſitum impediunt, quamobrem natura vt impedimentum illud expellat concutitur atque conuellitur. Alterum Herculei morbi genus eſt cum os ventriculi quod nerueum & maxime ſentiẽs eſt ab aliquo corrupto humore mordetur & morſum illum cum cerebro communicat quare natura vt illum expellat itidem concutitur atque conuellitur, tertium magni morbi genus eſt cum ab aliqua corporis parte quamuis minima & ignobili ſæua aliqua exhalatio attollitur & ad caput fertur cerebrumque inficit, quapropter natura vt noxam illam à capite remoueat concutitur & commo-

uetur, quod epilepſię genus raro videri Gal. 3. de locis affectis autumat, E tribus igitur huius morbi generibus de primo tantum Hypp. hic loqutum eſſe dico, nam ſecundum huius morbi genus leue eſſe eo in loco cuius teſtimonio paulo ſupra vſus ſum Gal. affirmat Cętęrum ſacrum morbum qui harum regionum incolas vexat grauem eſſe in hoc loco Hypp. dicit, de tertio autem huius morbi genere nō videtur Hypp. dicere poſſe, nam Boreales venti quibus patent regiones illę de quibus hic loquitur Hypp. corpora robuſta & coloratiora faciunt vt ipſemet Hypp. 17. aphoriſ. tertiæ ſectionis affirmat, colorem autem humorum certiſſimum indicium eſſe in commentario 2. aphoriſ. primę ſectionis Gal. dicit, quare non videntur à partibus corporum prędictorum hominum tam feri vapores attolli poſſe, ſiquidem Boreas excrementa conſumit & à bonis humoribus quibus corpora eorum qui has regiones incolunt hę ſęue exhalationes non attolluntur, modo videndū eſt cur morbi comitiales qui prędictos homines infeſtant pauci ſint ſed graues, dico igitur hoc ideo euenire quod capita eorum robuſta ſunt vt in tex. qui hunc proxime antecedit Hypp. dicit, quapropter niſi à forti & vehementi cauſa lędi non poſſunt, hæ autem raro incidunt, ab ipſis tamen cum illæ eueniunt ſemper graues morbi fiunt, his de cauſis igitur ſacri morbi qui hos homines inuadunt pauci ſunt ſed graues, præſertim cum Boreas vt paulò ſupra dixi ſuperfluitates exiccet atque à corporibus exprimat, longęuos autem hos homines eſſe magis quam alios, veriſimile eſſe hoc in loco Hypp. inquit, nec ſententiā ſuam vlla ratione probat, quare vt dictū ſuum verum eſſe oſtendam, dico primum ſcire opus eſſe quid nam ſit vita, Gal. in principio libri de vſu reſpirationis vitam eſſe animę actionem air, verum quia tres ſunt animæ actiones videlicet rationalis, vitalis, & vegetatiua, ideo vitam ſeruare nil aliud eſſe dicit quam facultates quæ has animæ actiones ædunt conſeruare, Ariſt. autem in lib. de morte & vita dicit vitam eſſe calidi innati conſeruationem, mortem vero huius eiuſdem calidi corruptionem, ex his duabus diffinitionibus quæ ambæ verę ſunt Galen. diffinitio animam ipſam reſpicit, Ariſt. vero diffinitio calidum innatum quod vel anima ipſa

vel

vel primum animæ instrumentum est quo omnes animæ facultates actiones suas ædunt vt ipsemet Arist. 2. libro de anima dicit, cum igitur vita ex his quæ ego dixi sit, Arist. definitionem ego recipiam quod melius per eam sententia Hypp. declarabitur, dico itaque si vita est conseruatio innati calidi, ea animantia quæ calorem innatum talem habent qui difficilius putrefieri & corrumpi possit longioris vitæ erunt, homines quoque qui calidum innatum tale habebunt diutius viuent, illud autem calidum innatum difficilius putrefit & corrumpitur quod nec cito exiccari nec cito congelari potest & pauciora excrementa gignit, nam cum animantia omnia calida & humida sint si innatum calidum facile exiccari poterit nutrimento carebit quod est humidum & propter alimenti inopiam à se ipso extinguetur, itidem si facile congelari poterit frigidum fiet & corrumpetur, si etiam excrementosum erit ab excrementorũ copia suffocabitur & extinguetur, nam excrementũ suapte natura contrarium est corpori illi in quo gignitur si quidem ex iis quæ animantibus contraria sunt generatur nec solum sua quãtitate sed vt illi natura contrariũ, ipsum corrumpet vel morbum aliquem gignet qui illud interficiet, vt ergo innatum calidum idsit vt difficilius exiccari & congelari, paucioraque excrementa gignere possit oportet ipsum multum esse, nam paucum facile exiccatur, & pingue ac oleosum & dulce quare non congelabitur, nam oleosa pinguia & dulcia nõ congelantur quod aerea sunt, aer autem cum aliis elementis conlatus ignis est, ignis vero non putrefit vt sensus demonstrat & Arist. in lib. de longitudine & breuitate vitæ affirmat, nec excrementosum erit hoc calidum quod nutrimẽtum sibi simillimum habet humidum scilicet illud aereum, causa vero quæ calidum innatum multum esse, pingue, oleosum & dulce facit est debita proportio quatuor primarum qualitatum ex quibus hominum & cẽterorum animantium corpora constant videlicet caliditatis & frigiditatis ad humiditatem & siccitatem & caliditatis ad frigiditatem & humiditatis ad siccitatem quam proportionem sola natura nouit vt bene Auer. in paraphrasi sua in lib. Arist. de longitudine & breuitate vitæ dixit, & loca igitur quę eam

debitam proportionem primarum qualitatum melius cõſeruare & augere poterunt,calidum quoq; innatum augere & illud pingue oleoſum ac dulce conſeruare valebunt,Ariſt. igitur in lib. de longitudine & breuitate vitæ dicit loca moderate calida innatum calidum augere poſſe & cõſeruare quod calido innato quod temperatum eſt ſimilia ſint, omne enim ſimile à ſuo ſimili conſeruatur & augetur, quamobrem homines & cętęra animantia in his locis longioris vitę ſunt quam in frigidis, ſi autem loca extreme calida ſint homines in illis diu viuere non poſſunt,quoniã vehementia caliditatis alimẽtum caloris innati quod eſt humidum cõſumit, quamobrem calidum innatum alimenti inopia extinguitur haud ſecus ac magna flamma ſi paruæ flammæ proxima fit illam extinguit quod eius alimentum ad ſe trahat, alia ratione probat Ariſt. animantia quæ loca moderate calida incolunt eſſe longioris vitæ quam illa quę regiones frigidas habitant, nam animantia quæ paucum calorem habent vt ea ſunt quæ hyeme in cauernis degunt in locis calidis magna & multa ſunt, in regionibus vero frigidis vel nulla vel longe minora & breuioris ſunt vitę quam in calidis, quoniam in locis frigidis calidum innatum aquoſum eſt & ideo facilius cõgelatur,quamobrem caliditatem alere non poteſt, calidum vero cum alimentum, non habet corrumpitur nec augumentum animantibus præſtare poteſt, preterea frigiditas caliditati contraria eſt & ideo apta nata caliditatem corrumpere non autem conſeruare, quoniam contraria mutuò ſe deſtruunt, cum igitur vita calidus & humidus affectus ſit à frigido corrumpitur non autem conſeruatur, quare homines & cętęra animantia breuioris vitæ ſunt in frigidis quam in calidis regionibus,Hypp. vero hoc in loco dicit veriſimile eſſe homines qui regiones incolunt quæ ventis frigidis & ſiccis patent longioris vitæ eſſe quam alios & ſi hæ regiones neceſſario frigidę ſunt,quoniam hoc per accidens euenit quod calor à cœli frigiditate ad interiores hominum ſedes impellitur in ipſiſque conſtringitur & in vnum coit quare validior fit nec congelari aut extingui quod multus eſt nec multa excrementa gignere valet, quia cum multus ſit multum quoque conſumit & ea excrementa

quæ

quæ ipſe gignit hi venti frigidi & ſicci exiccant & ab hominũ corporibus exprimunt, quamobrem Theophraſtus ſecundo libro de cauſis plantarum flatus frigidos commodiores eſſe quam calidos dixit, ſiquidem venti frigidi cauſa ſunt vt calor longiori tempore humido frui poſſit, quoniam ſua frigiditate illum temperant & excrementa detergunt nec ſinunt vt ea cum diutius in plantarum corporibus permanent illas nimis humefaciant vel æſtu ſolis afficiant, quare cum hi venti flant plantę melius conſtant & valent quam cum venti calidi ſpirant, hi enim diffundunt & calorem innatum debilitãt id tamen ita intelligendum eſſe Theophraſtus ait ne hi venti nimis frigidi ſint, hi namque nimia ſui frigiditate & generando & alendo animali impedimento ſunt, plantas vero animantibus proportione reſpondere & cum ipſis conferendas eſſe idem Theophraſtus primo de hyſtoria plantarum aſſerit. Ariſt. vero cum incolas regionum quę moderate calidę ſunt diu viuere dixit propriam huius effectus cauſam adduxit, nã hæ regiones innato calido ſimiles ſunt omnia autem à ſibi ſimilibus conſeruantur & augentur, nam calidum cum humido coniungitur temperatum eſt & ad animal gignendum & conſeruandum multum valet. & ideo calidum cum humido facile copulatur, vt ſiccum cũ frigido iungitur ad animal necandum multum poteſt, quare cum frigido facile iungitur, mors enim frigidus & ſiccus affectus eſt vt sẽſus ipſe indicat, nec ſolũ dum ſiccum ipſi frigido quod calido contrarium eſt cõiungitur mortis cauſa eſt ſed etiam cũ calido iungitur animal ipſum corrumpit quod calidum acrius & vehementius reddat quam opus ſit ad vitam animalis tuendam, humidum enim quam citiſſime conſumit quod caloris alimentum eſt, at calor cum nutrimento caret ſtatim corrumpitur vt ſuperius dixi, vlcera quoque hominum qui prædictas regiones incolunt propter eandem cauſam quam dixi neque pituitoſa neque maligna fiunt, quod corpora eorum excrementis non abundent quæ illa pituitoſa & humida & ſi nimia ſint etiam maligna reddere valeant. Moribus vero potius agreſtibus quam lenibus hos homines eſſe Hypp. in hoc loco affirmat, quod interiores corporis ſedes calidiſſimas habeant

quamobrem bile abundant ideoq; audacesi,racundi & acres sunt quod vehemens calor suapte natura hæc omnia facere valeat, hos itaque morbos quos hoc in loco Hyppocr. narrauit, prędictos incolas vexare ipse dicit & prȩter hos si quis morbus omnibus cõmunis regiones illas inuadat huic quoque prędictarum regionum habitatores obnoxij sunt, & subiungit Hypp. hos morbos à mutatione horarũ fieri quod conuenit cum eo quod ipse dixit primo aphoris. tertiæ sectionis videlicet Mutatjones temporum potissimum morbos pariunt quod de morbis omnibus communibus intelligendum esse patet ex iis quę in commẽtario suo in primum librum Hypp. de morbis vulgaribus non longe a principio Gal. dicit, at cur mutationes temporum & in quibusdã temporibus magnæ mutationes quatuor primarum qualitatum morbos pariant nullam demonstrationem neque in commentario prædicti aphoris. neque in commentario in primũ lib. Hypp. de morbis vulgaribus vt in principio eius libri ille se facturum esse promittit Gal.adfert,ego autem paulò inferius huius rei causam adferre conabor.

E mulieribus autem primum quidem multę steriles fiunt, propter aquas duras incoctiles & frigidas, menstrua enim non bene proueniunt sed pauca & mala, difficulter deinde pariunt,nec valde abortiunt, cum autem pepererint partus alere nequeunt,hac enim à duritie & cruditate aquarum opprimitur, frequenter autem à partu tabescunt, à violentia namque rupturas & conuulsiones habent, puerulis vero dum parui sunt hydropes in testibus generantur, finiuntur autem cũ ætate procedunt,tardęque in hac vrbe pubescunt,de ventis igitur calidis & frigidis & de his vrbibus res ita se habet vt prædictũ est.

Multas sterilitatis causas esse in lib. de sterilibus Hyppoc. ostendidit, cęterum in his regionibus quę ventis frigidis & siccis expositę sunt,mulieres hac vna de causa steriles fieri idẽ Hypp. dicit quod menstruæ purgationes ipsis non bene proueniunt sed paucæ & malę, ideo autẽ purgationes menstruas malas & paucas hæ mulieres habent, quia aquas duras incoctiles & frigidas bibunt, quæ sanguinem serosum & pituitosum faciunt, quare menstrua mala sunt quia nõ sunt pura sed multo sero & multæ pituitę admiscentur,pauca vero quoniã hæ aquę venas illas per quas mẽstrua transeunt constringunt

quam-

quamobrem menſtruus ſanguis libere ab ipſis fluere non poteſt, quod impedimentum auget frigiditas aeris qui earum corpora ambit, quod capita venarum quę in vtero ſunt præſertim in eius ceruice conſtringat claudatq; vt paulo ſupra dixi cum cauſam adferrem cur homines qui prædictas regiones incolunt aluum adſtrictam habeant, ideo autem hę aquæ mulierum ſanguinem non autem virorum ſeroſum & excremẽtis frigidis plenum faciunt, quia viri calidiores ſunt quam fœminę, quamobrem aquarum frigiditatem vincere queunt, fœminæ vero minime quia viris frigidiores ſunt vt in valle il la Brixienſi vſu venit, in qua mulieres omnes propter aquas ferreas quas bibunt in anteriore colli parte ædema habent, viri autem minime quod duritiem & cruditatem aquarũ quę in ea valle erumpunt vincere valeant fœminę autẽ non quod viris vt dixi ſuperius frigidiores ſint, ſed cur ſanguis menſtruus paucus ſeriq; ac excrementorum frigidorum plenus mulieres ſteriles facit? Hypp. in lib. de ſterilibus ideo menſtrua aquoſa & frigidorum excrementorum plena fœminas ſteriles facere affirmat, quia hæc menſtrua genituram tenuem & aquoſam reddunt adeo vt concreſcere non valeat ſed ſtatim ex vtero effluat, quamobrẽ hę mulieres ſteriles fiunt, menſtrua vero cum pauca ſunt fœminas ſteriles reddunt quod ſanguis qui in venis vteri retinetur nõ ſinit vt illę genituram recipere nec eam alere valeant, quoniam cum menſtrua pauciora fluunt quam opus ſit, neceſſe eſt in vteri venis aliquid inueterati ſanguinis retineri, qui cum ab vteri venis in quibus diutius retentus eſt acrior & calidior factus ſit quam genituræ alimento conueniat, mulieres eum nutricari nequeũt vt idem Hyppoc. ait in eo libro cuius teſtimonio paulò ſupra vſus ſum, cæterum in expoſitione illius tex. cui hic continuatur dixi, aquas quæ erumpunt in his regionibus quę ventis frigidis & ſiccis expoſitę ſunt dulceſcere & ideo leues fieri, at Hypp. in hoc tex. mulieres quæ has regiones incolunt menſtrua aquoſa & ſeri frigidorumque excrementorum plena & pauca habere dicit, quod aquas duras incoctiles & frigidas bibunt, dico itaque cum tex. cui hic continuatur expoſui me oſtendiſſe quomodo aquæ harũ regionum quæ ventis

frigidis

frigidis & ſiccis patent crudæ incoctileſq; dici debeant quare dubij ſolutio illinc petatur. Difficulter autem mulieres prædictæ pariunt, quoniam imæ partes propter earum frigiditatem & ſiccitatem conſtringuntur & dureſcunt quare constrictoria vteri vis ſurſum verſus partum pellit vt paulò ſupra dixi cum rationem adferrem cur incolę harum regionum aluum adſtrictam habeant, membranæ quoque quæ partum involuunt præ ſui duritie difficulter relaxantur ac diſtenduntur quare partum validius retinent, quo fit vt ipſe ægrius deſcendat & exeat, debilitas quoque infantis in cauſa eſt difficultatis partus, præ debilitate enim parum nititur vt aligamentis quę ipſum tenent ſoluatur & exeat, partus vero quos hę mulieres ædunt debiles eſſe id indicat, paucum enim nutrimentum nec puerulis alendis idoneum habent ſi quidem harum mulierũ menſtruus ſanguis quo partus nutriuntur paucus eſt & malus vt ſuperius dictum eſt, & illi duo primi affectus quos difficultatis partus cauſas eſſe ſuperius dixi ſunt etiam cauſæ vt hę mulieres non facile abortiant, puerulos quoque hæ eædem mulieres poſtquam ipſi nati ſunt alere ne queunt quoniam lac ab aquarum duritie & cruditate opprimitur quod mamillę ab eadem aquarum cruditate claudantur & conſtringuntur, quo fit vt lac ad ipſas facile peruenire non poſſit & illud quod ad ipſas peruenit ab eadem aquarum frigiditate aquoſum & ſeri plenum fit, quamobrem puerulos bene nutrire non poteſt, at vero quia hæ mulieres propter iam dictas difficulter pariunt ideo magna vi opus eſt vt partus ædant, quare ad vterum multi ſpiritus multiq; ſanguinis concurſu opus eſt quam ſpirituum & ſanguinis copiam venarũ tunicę durę ac tenſæ continere nequeuntes rumpuntur, quibus rupturis tabes facillime concitatur, verum quia vteri noxa per venas & arterias cerebro communicatur, hinc ipſas conuulſiones quoque vexant, pueruli etiam qui nuper nati ſunt hydrocele laborant quia aquoſo ac frigido alimẽto nutriti ſunt, hanc autem ſuperfluam humiditatẽ natura ad ſcrotum mittit quod grauis ſit & deorſum facile tendat, ſcrotum autem in inferiore imi ventris parte ſitum eſt, quamobrem ſuperfluitates facile in illud deſcendunt in eoque & in teſtibus

quod

quod hi quidem ſpongioſi illud vero laxum & cauum ſit facile recipiuntur, procedente vero ætate ſanantur quod calor naturalis propter ætatem ſiccior acrior ac validior ſemper fiat, quamobrem humorem illum facilius diſcutere & conſumere valet, tarde autem adoleſcentes in his vrbibus pubeſcunt, quoniam cutis eorum frigida & humida eſt vt eius mollities & albedo indicant, quapropter meatus illi per quos fuligo illa è quibus pili gignuntur tranſire debet parui ſunt & conniuent, quo fit vt fuligo illa & ſi pauca eſt quoniam in cute frigida & humida paucus eſt calor, difficulter tranſire poſſit & pilos gignere vt ſecundo libro de temperamentis Gal. exacte demonſtrat, perorat demum Hypp. & inquit de ventis calidis & frigidis & de illis regionibus quæ ipſis expoſitæ sũt rem ita ſe habere vt ipſe hucuſque dixit, nec vllam mentionem in hac ſua peroratione humiditatis vel ſiccitatis ventorum facit, quoniam earum qualitatum ventorum ſolum meminiſſe voluit quæ vehementius ac validius in humana corpora agunt, eæ autem ſunt calor & frigus. Id tamen notandum eſt ventos omnes vt ſuperius dixi propter qualitates locorum per quos tranſeunt interdum naturam mutare vt borealibus ventis vſu venit, hi nanque in Aemilia frigidi & humidi ſunt, quamobrem plantis frugibus & hominibus quoq; idonei ſunt at in Aethruria frigidi quidem ſed ſicciſſimi ſunt adeo vt æſtate plantis frugibus & herbis maxime noxij ſint, hoc autem ideo accidit quia Boreas antequam in Aemiliam perueniat per Adriaticum ſinum tranſit à quo humiditatem acquirit quam relinquit deinde in Apenninis montibus per quos tranſit cum in Aethruriam deſcendit & ſicciſſimus fit, alia ratione quoq; Boreas in Aethruria valẽter exiccat quod in ipſam deſcendendo ab Apenninis alpibus peruenit, quamobrem impetu ſuo radios ſolis ad terram deprimit nec eos exhalare permittit hi autem cum ad terram reflectuntur magis calefaciunt & exiccant, cum autem è Flamminia diſcedit ad Apenninum aſcendit quo fit vt radij ſolares facilius exhalare poſſint nec ad terram reflectuntur ideoque non ita valenter calefacere & exiccare valeat.

Quæ-

Quecunque autem vrbes ventis patent qui inter æstiuos & hyemales solis ortus sunt & quæcũque his ex opposito sunt sitę de ipsis sic se res habet, quecũque quidem ad orientem solem vergunt has salubriores esse illis quę Septentrionem spectant verisimile est & his quę calidis expositę sunt & si stadium interfit, Etenim primum quidem calorem & frigus magis moderata habent, deinde aquas omnes quæ versus orientem solem sunt, pellucidas bene olentes & molles esse atque amabiles in hac vrbe innasci necesse est, sol enim oriens & illuminans illas corrigit, nam matutinam horam plurimum ipse aer vndiq; continet & hominum species probe coloratę & magis floridę sunt nisi aliquis alius morbus vetet, & splendidę vocis homines sunt & excandescentia intelligentiaq; meliores quam Boreales, siquidem & alia quę in ipsa gignuntur prestantiora sunt, & vrbs quæ ita sita est veri maxime assimilatur secundum caloris & frigoris mediocritatem, & morbi pauciores & leuiores fiunt, similesq; sunt morbis qui in vrbibus fiunt quę calidis ventis expositæ sunt, & mulieres illic valde sunt fœcundæ ac facile pariunt & de his quidem res hoc pacto se habet.

Cum Hypp. in tex. illo cui hic præsens tex. continuatur dixerit de illis vrbibus quæ ventis frigidis & siccis patent, nũc de illis dicere aggreditur quæ oriẽtem & occidentem solem spectant & eas quæ orientalibus vẽtis expositæ sunt, illis quæ ad Boream versus & iis etiam quæ Austrum versus sitæ sunt salubriores esse affirmat, ita enim verba illa Hypp. interprętor & his quæ calidis expositæ sunt ventis scilicet calidis vt sunt Austri, hæ enim si vel stadium inter eas interfit dummodo ad Austrum vergant non ita salubres sunt vt eæ quæ orientem solem spectant. Verum quia tres orientes sunt æstiuus scilicet æquinoctialis & hybernus, eas vrbes omnes quæ inter æstiuum & hybernum orientẽ sitæ sunt, iis quæ Boream & Austrum spectant salubriores esse Hypp. affirmat, quam sententiam his rationibus probat, & enim calorem magis moderatum habent quam eę quę Austrum & Boream spectãt, nam vrbes illæ quæ ad Austrum inclinant calidiores sunt iis quæ orientem solem spectant, eæ autem quæ ad Boream vergunt nimio gelu rigent, nam latitudo multo mãgis quam longitudo regiones calidas & frigidas facit, insuper vrbes illas quę inter æstiuum & hybernum solis ortum sitæ sunt, cętęris salubriores esse alia ratione probat, quoniam aquę quæ in illis erumpunt pellucidas, bene olentes, molles atque amabiles esse necesse est, pellucidas quidem idest claras & limpidas, be

ne

ne olentes autem aquas illas ab Hypp. appellari crediderim, eas quæ nullum odorem habent, quemadmodum nos aquas illas quę nullum ſaporem habent dulces appellare conſueuimus, molles autem eas aquas dicit Hypp. quæ crudæ non ſunt ſed leues & cito calefiunt & frigefiunt niſi enim ipſę cito calefierent & frigefierent, durę & indomitæ nō autem molles eſſent, amabiles vero ideſt guſtui gratę & demum dulces, quod ipſe hac ratione probat, ſol enim cū oritur ſtatim ipſas illuminat & corrigit ideſt ſua caliditate earū frigus moderat ac temperat illaſque attenuat & leuiores facit, nam ſol à ſui ortu vſque ad meridianum circulum terrā ſemper magis calefacit, quoniam tunc eius radij dum terram verberant angulos rectos vel rectis ſimiles facit, quamobrem frigiditatem aquæ vt dictum eſt moderare ac temperare valet & aerem in mnibus ſui partibus temperatum facere & inquit Hypp. aerē illum in omnibus ſui partibus plurimum matutinum tempus habere, quia aer ille non ſemper temperatus eſt, nam ſummo mane cum ſol oritur, aer temperato frigidior eſt, cum autem ſol ad meridianū vel propè ipſum peruenit aer calidior eſt quam ſit aer temperatus, quo fit vt harum vrbium incolæ bene colorati & floridi ſint, colore ſcilicet inter album & rubeum quem roſeum appellare poſſumus, nam cum regio temperata ſit homines quoq; temperatos facit, ſiquidem & quæ in loco ſunt ipſi loco ſimilia eſſe oportet quod locus ea conſeruare debet, quia igitur homines boni temperamenti ſunt ideo bonum colorem & roſeum habent, color enim humorum qui in corporibus hominum ſunt certiſſimum indicium eſſe Galen. etiam in commentario tertij aphoriſ. primę ſectionis affirmat, Id tamen quod regio ipſa ſuapte natura facere valet bonum, ſcilicet colorem ſuorū incolarum, aliquis morbus quo aliquis ex his habitatoribus fortaſſe laborat impedire poteſt, quod de morbis longis non autem de breuibus & acutis Hypp. dixiſſe credo, nam morbi breues & acuti cito finiuntur, quamobrem cū ipſi ſalubres ſint corpora quæ illi vexarunt cito in naturalem ſtatum reuertuntur & colorem ſuum recuperant, ſplendidas quoque voces ideſt ſonoras claras & ſuaues hos homines habere Hypp. affirmat quoniam

R. ARCHIG. VENETO VENEZIA

niam instrumẽta quibus ipsi vocem ædunt bene formata nec cruditatibus aut excremẽtis referta habent, neque ita iracundi & excandescentes sunt vt hi qui boreales regiones habitãt quos moribus potius feris quam mansuetis esse paulò supra probaui, animi enim mores temperamentum corporis sequi Gal. in lib. quod animi mores temperamentum corporis sequantur manifeste demonstrat, cum igitur hi qui Boreales regiones incolunt calidiores sint quam illi qui orientales regiones habitant, nil mirum si iracundiores etiam sunt illis qui vrbes incolunt quę inter æstiuum orientem & hybernum sitę sunt, prudentiores quoque hi iidem homines & mente melius apti sunt quam Boreales, nã bonitati temperamenti prudentia & mens comitantur vt Gal. eo loco cuius testimonio nunc vsus sum opt. docet, & Arist. 2. de anima molles carne, bene aptos mente esse affirmat, quod carnis mollities temperamentum bonũ esse indicat, cũ ergo orientales homines meliori temperamento sint quam Boreales qui calidiores sunt quam esse oporteat, ideo prudentiores & mente melius apti moribusque humanioribus & magis mansuetis quam Boreales sunt, Hypp. autem homines orientales borealibus meliores esse hoc vno signo probat, quod omnia alia quæ in orientalibus regionibus nascuntur meliora & præstantiora sunt iis quæ in locis borealibus gignũtur, huiusque signi causam adfert, quod harum regionum cœlum veri simillimum est, calorem enim & frigus moderata habent vt ver, ea autem quæ in loco aliquo sunt ipsi loco qui ipsa continet similia esse oportet, quamobrem si locus veri similis est & temperatus, ea etiã quæ ab ipso continentur temperata & bona esse necesse est, & sic admirabili quadam breuitate orientales homines borealibus meliores esse demonstrauit, idem etiam temperamentum orientalium regionum causa est vt morbi qui in illis oriuntur pauciores ac leuiores quam illi qui in Borealibus regionibus fiunt & similiores illis morbis qui in regionibus fiunt quæ calidis ventis expositæ sunt quam iis qui in regionibus borealibus nascuntur, quia orientalium regionum temperatura similior est temperaturę regionum quæ calidis ventis expositæ sunt quam temperaturę borealium regionum,

mulie-

mulieres autẽ orientales fœcundæ ſunt & facile pariunt, quoniam inſtrumenta quæ generationi inſeruiunt temperata & bene formata habent, & ſanguine abundãt, ſi quidem ſanguis in regionibus temporibuſq; temperatis viget, quoniam ipſe quoque temperatus eſt eo modo quo ſuperius dixi, & de his regionibus quæ ventis orientalibus patent res hoc modo ſe habet vt hic Hypp. dicit.

Quecumque autem occidentem verſus poſitę ipſęq; à ventis qui ab oriente ſpirant tectę ſunt, & calidi venti frigidiq; ab vrſis præterfluunt, has vrbes in ſitu morboſiſſimo ſitas eſſe neceſſe eſt, primum enim ea de cauſa aquę limpidę non ſunt quoniam aer matutinam horam quam plurimum continet, qui aquę immixtus ſplendorem eius obſcurat, ſol enim antequam ſupra eleuetur non illuſtrat, æſtate autem mane quidem aurę frigidę flant & rores cadunt, deinceps vero ſol occidens quam maxime homines conficit, quamobrem & pallidos & imbecilles omniumque morborum participes eſſe veriſimile eſt, nulla enim pars morborum qui prædicti ſunt ab ipſis ſecernitur, grauiq; voce & rauços eſſe credibile eſt propter aerem, quoniam illic impurus ac morbidus vt plurimum eſt, Etenim à Borealibus ventis non admodum expurgatur, venti enim non durant, & qui durant & ipſis adſunt aquoſiſſimi ſunt, quoniam venti occidentales ſimiles ſunt autumno, ſiue talis vrbis ſitus maxime iuxta diei mutationes, quoniam multum medium eſt matutini & veſpertini. De ventis quidem qui vtiles & qui inutiles ſunt ſic ſe res habet.

In tex. illo qui hunc proxime antecedit Hypp. propoſuit velle ſe dicere de vrbibus illis quæ ventis orientalibus & occidentalibus patent, cum igitur dixiſſet de illis regionibus quæ ventis calidis & orientalibus expoſitæ ſunt, nunc tranſit ad eas quæ ventis frigidis & occidentalibus patent, & inquit eas vrbes quæ occidentem verſus ſitę & à ventis qui ab orien te ſpirant tectæ ſunt ita vt calidis ventis qui à meridie & à frigidis qui ab vrſis flant non pateant, ſed ambo hi venti iuxta ipſas ſpirant & præter eas fluunt, in ſitu morboſiſſimo neceſſario eſſe, primo quod harum regionum aquæ limpidę non ſunt quamobrem nec leues, eadem enim cauſa quę ipſas turbidas eas quoque graues efficit, illas turbidas facit aer qui tardiſſime à ſole illuſtratur, cum hæ aquę occidentem ſolem ſpectent, quamobrem vapores craſſi & nubiloſi qui noctu gignuntur & ipſi admiſcentur illum craſſiorem & turbidiorem faciunt, quoniam à ſole non reſoluuntur neque attenuantur,

nuantur, hic itaque aer aquis immixtus eas obscurat crassioresque & grauiores reddit, quod Hypp. significauit cum dixit aerem matutinam horam quam plurimum continet, idest multo tempore obscurus & frigidus durat, quoniam sol ante quam in altum tollatur cœlum illud illustrare non valet, quod ad illas regiones tarde perueniat, & cum iam propè meridianum accessit, præterea æstate mane auræ frigidæ fiant & rores cadunt quæ etiam aerem sua frigiditate crassiorem & turbidiorem efficiunt, præsertim cum a sole rores in vapores resoluuntur qui aeri primum deinde aquis etiam immixti earum claritatem & splendorem obscurant, sed cur dicit Hyp. æstate in his regionibus mane frigidas auras flare & rores cadere? an quia sol Hyberno tempore tantam vim non habet vt ventos vel auras in regionibus occidentalibus concitare valeat, tranquillitas enim duabus de causis fit, à nimia caliditate scilicet quæ exhalationes & fumos consumit, vel à nimia frigiditate quæ ipsa extinguit, rores vero æstate in his regionibus cadunt quoniam vapores qui in illis attolluntur à frigiditate cœli quod à calore qui eos eleuauit derelinquuntur in paruas aquę guttas conuertuntur & rores faciunt vt bene Arist. 2. metheor. probat. Sed cum Hypp. in tex. illo cui hic continuatur regiones occidentales ventis frigidis patere dicat, arbitrari videtur occidentales regiones orientalibus frigidiores esse quod etiam Arist. 2. metheor. affirmat, cum dicit ventos qui ab oriente flant calidiores esse ventis qui ab occidente spirant, quoniam orientales partes occidentalibus calidiores sunt & huius rei hanc causam adfert, solem scilicet diutius supra orientalem plagam immorari quam supra occidẽtalem, quomodo autem hoc fieri possit modo videre opus est. Auer. igitur in paraphrasi sua in illum librum duas rationes adfert quare sol diutius supra orientalem partem quam supra occidentalem stet & eas calidiores quam occidentales efficiat, è quibus prima est hæc, sol oriens statim terram orientalem radiis suis verberat & angulos rectos vel rectis similes facit, quare refractio radiorum eius vsque dum ad meridianum circulum peruenit valida est, quo fit vt pars orientalis fortiter calefiat, at pars occidentalis paulatim à sole calefit &

post quam

post quam pars eius quæ meridiano circulo vicina est quæ prius frigida erat tepefacta & deinde calefacta fuerit, quoniã non fit transitus à vehementi frigiditate ad vehementem caliditatem nisi per medium, & ideo post hyemem statim non aduenit æstas sed post hyemem antequam æstas aduenit medium est ver, & si in quibusdam annis post frigus calor immensus statim venit, anni illi morbiferi & pestilẽtes sunt, cum igitur sol in meridiano existẽs calidissimus sit occidentalem plagam quæ meridiano vicinior est primum & deinde alias calefacit sed non ita intẽse vt orientales partes calefaciebat, quoniam antequam eas calefecerit aliquas earum pertransiit & ideo eas ita intense calefacere non valet vt orientales partes calefecerat, alia eius ratio est, in cœlo pars dextra & pars sinixtra est, sol in parte dextra cœli validior est quam in sinixtra sicuti pars dextra animãtis fortior quam sinixtra est, cum ergo sol est in oriẽte in dextra cœli parte est, & ideo motus eius est validior quam cum in occidẽte est, tunc enim sol est in sinixtra cœli parte, cum ergo solis motus cum ipse in oriẽte est validior sit quam cũ ipse est in occidẽte & refractio radiorum eius validior quoque sit cum ille in oriente quam in occidente est vt Auer. in prima sua ratione probauit, nil mirum si orientalem plagam quam occidentalem magis calefacit, siquidem non solum sol sed omnes aliæ stellæ motu suo & radiorum suorum refractione calorem faciunt. His duabus rationibus cum Auer. sententiam suam non satis comprobasse arbitraretur inquit, causam cur partes orientales occidentalibus calidiores sint esse, quod sol diutius immoratur supra orientalem terram quam supra occidentalem, nam sol duabus horis antequam adfinientem circulum perueniat oriẽtalem plagam illustrat & calefacit, quoniam adfinientem circulum adscendit, sed postquam occidit, occidentalem plagam calefacere non potest, nam cum sol occidit obscurat & frigefacit, non autem illustrat & calefacit. Hęc Auer. sententia stare non potest, nullam enim rationem habet qua demonstrare possit cur sol diutius supra oriẽtalem partem quã supra occidentalem immoretur, nam & si duabus horis antequam oriatur orientalem plagam illustrat & calefacit quo-

niam adfinientem circulum adſcendit nulla ratio videtur cur poſt quam occidit duabus horis etiam occidentalem plagam illuſtrare & calefacere nō poſſit licet deſcendat, prę ſertim cū facilius ſit caliditatem quam ipſe in occidentalibus partibus impreſſit cum ſupra finientem circulum erat, conſeruare quā nouam gignere, ſicuti cum ipſe verſus finientem circulum ad ſcendit gignere debet quod orientales partes mane adhuc fri gidæ ſunt quia nox ipſas frigefecit, quamobrem aerem mane frigidiorem ſentimus quam veſperi, ſi vero dixeris occiden- tales partes tardius quā orientales calefieri & paulatim quia primo tepefiunt deinde calefiunt, idem ego de orientalibus dicam eas primo tepefieri deinde à ſole calefieri, immo occi- dentales partes magis quam orientales à ſole calefieri viden- tur quod multo plures & craſſiores vapores in partibus occi- dentalibus quam in orientalibus attolluntur, quoniā ſol tar- dius ad illas peruenit quam ad occidentales, ſolis autem vis ea eſt vt primo vapores attollere non autem conſumere va- leat, qui vapores cum ſolis calorem in ſe recipiunt quod craſ ſi ſint vehementer calefaciunt, quare hac Auer. ratione partes occidentales orientalibus calidiores eſſe probatur, illud ve- ro quod ipſe dicit de dextro & ſinixtro cœli nihil eſt, etenim probādum erat cur motus ſolis in dextra parte cœli validior eſt quam in ſinixtra vt in animātibus probatur, quorum pars dextra calidior & validior ſinixtra eſt propter ſanguinis co- piam qua pars dextra magis quam ſinixtra abundat, quod de cœlo quod corpus ſimplex eſt dici non poteſt, nec aliqua ra- tio apparet cur ſol dum occidentalem terram radiis ſuis ver- berat angulos rectos vel rectis ſimiles facere non valeat ſicu ti cum orientalem ipſis ferit, & ſi aſtronomi planetas in angu lo orientis validiores eſſe quam in occidente affirmant, hanc ſentētiam nulla ratione ſed ſola obſeruatione & experientia probāt, quæ qualeſcūque eæ ſint Philoſophia & Aſtronomia duę diuerſę artes ſunt & diuerſa principia habent, quare non debemus illas confundere & à principiis vnius in altera argu mentari & de genere in genus tranſcendere. Alex. vero in cō mentariis ſuis in ſecundum lib. metheor. hunc locum inter- pręans inquit, ideo orientales regiones occidentalibus cali-

diores

diores esse quoniam cum sol oritur statim orietalem plagam calefacit quod eã radiis suis statim verberat qui sero ad occidentalem plagam perueniunt & debiliter illam calefacere incipiunt,& cum sol occidentalem terram illustrat & calefacit, orientalem non deserit, sed illam quamuis debiliter illustrat & calefacit, attamen quia caliditatem suam in parte orientali iam impressit ideo parua ea caliditas qua sol cum in parte occidentali est orietalem regionem calefacit,eũ calorem quem dum ipse erat in parte orientali in illa genuerat conseruare valet quamuis nouam caliditatem in ea tũc gignere non possit, dicitur itaque sol diutius supra orientalem regionem immorari quam supra occidentalem, quoniam cum ipse supra finientem circulum est nunquam orientalem plagam pœnitus deserit sicuti occidentalem cum ille occidit,posset tamen aliquis dicere sol cum oritur radiis suis occidentalem regionem statim verberat sicuti orientalem & ideo tanto tempore supra occidẽtalem partem stat quanto supra orientalẽ,immo plus temporis supra occidẽtalem regionẽ quam supra orientalem stare videtur, quod lux eius prius in occidente quam in oriente appareat,vt hyst.serui illius Tyrij manifeste demõstrat,cum enim interfectis dominis suis serui Tyrum occupassent & inter se conuenissent vt ille qui primus statuta die orietem solem mane vidisset eorum rex esset, vnus ex illis cum omnes alij ea die mane orientem aspicerent ipse solum occidentem spectabat & primus omnium lucem solis in occidente vidit cęterisque conseruis suis ostendidit, dico & si sol supra occidentalem plagam æquali vel maiori tempore staret ac supra orientalem stat, adhuc orientalis regio occidentali calidior esset, quoniam sol cum oritur confestim orientalem plagam radiis suis verberat & illam calefacere incipit & eam calefacit quousque ad occidentalem perueniat & bonam illius partem pertransierit, & cum iam in occidente est debilis illa caliditas qua tunc orientalem partem calefacit ea est vt illam caliditatem quam prius in oriente genuit conseruare valeat, cętęrum cum in oriente est calorem in occidentali parte de integro gignere non potest & enim radij eius cũ eò ab oriente perueniunt debiles sunt ideoque pars orienta-

lis, occidentali calidior esse dicitur, quoniam plus temporis sol eam quam occidentalem calefacit, siquidem cum oritur statim illam calefacere incipit & ipsam calefacit quousque meridianum circulum transierit, tunc enim licet debiliter orientalē regionē calefaciat impressam tamen prius in ea caliditatem conseruare potest vt dixi & diutius supra orientalem partem quam supra occidentalem, solem stare dicimus, quoniam nūquam illam vt hanc pœnitus deserit cum occidit quamuis lux eius in montium cacuminibus qui in occidente sunt citius appareat quam in oriente, cum autem sol in occidente est illud vehementer calefacit sed paruo tempore quod cito occidat, nam maiorem partem occidentis pertransiit antequā eam vehementer calefacere potuerit, auget quoque solis moram supra orientales regiones situs ipsius orientis, siquidem vt Hypp. in hoc lib. ait cum Asiam & mores eorum qui Asiam incolunt describit, in Asia mutationes horarum & tempestatum anni non sunt ita magnæ & frequētes vt in Europa, hoc autem ideo fit quia Asia licet non tota & oriētales partes magis æquales & vniusmodi sunt quam Europæ regiones sint, nec ita vallibus, montibus, & collibus distinctæ vt sunt occidentales partes, quamobrem in orientali plaga nō impeditur sol quin ęque supra ipsam immorari possit, nec a varietate partium situs variatur eius mora ita vt maior sit supra vnam partem quam supra aliam, si loquamur de illis orientalibus partibus de quibus hic loquitur Hypp. quæ illæ sunt quæ inter Æstiuum ortum & hyemalem sunt sitæ, oceanus quoque orientalis cum sol oritur confestim radios illius reflectit & eorum vim auget, quare orientalis plaga ab ipsis magis calefit, & hę mihi vidētur causę quare orientales regiones calidiores occidentalibus sint. Deinceps vero cum sol occidit, homines quam maxime cōficere idest imbecilles reddere & eorum vires resoluere Hypp. ait, nam occidentalis plaga cum sol supra ipsam immoratur vehementer calescit, multi enim vapores crassi & densi in ea sunt vt paulò supra dixi, qui cum solis calorem ad se recipiunt valide calefaciunt, præsertim cū radij solis ab occidētali oceano reflectātur, quamobrem calor in his regionibus multiplicatur & homines con

ficit,

ficit, cumque mane hæ regiones frigidæ sint sero autem vehe menter calidæ eas inæquales & autumno similes esse necesse est, qui propter suam inæqualitatem morbiferus est vt Gal. in commentario suo in 10. aphoris. Hypp. tertię sectionis affirmat. Sed cur inæqualitas tempestatum regiones morbiferas reddit? an quia sicuti aeris qualitates mutantur & variantur ita animantium corpora commutantur, quoniam in vnaquaque aeris tempestate humores illi similes gignuntur, cum igitur hæ regiones mane frigidę sint sero autem calidę, mane in eis pituita gignetur sero autem bilis, qui humores à mutatione è frigido in calidum & à ventis quoque commouentur & inter se commiscentur & à motu acriores fiunt & putrescunt vel in aliquem corporis locum decumbunt & pectoris lateriſque dolorem vel intestinorum tormina aut aliquem alium morbum faciunt, quamobrem harum regionum incolas facile in eos morbos qui prædicti sunt incurrere necesse est, nulla enim ratione quin ipsi eos facile vexent liberari possunt, at vero quia aer crassus impurus ac morbidus vocis vias obstruit adstringit ac inæquales facit graui voce, idest raucos illos esse necesse est, vt ipsemet Hypp. affirmat cum verba sua interpretatur, ideo autem aer impurus ac morbidus in illis regionibus est quoniam à ventis Borealibus & Australibus, non expurgatur, & enim hi duo venti cœlum maxime purgant, quoniam ab vrsa & à meridie vehementiores venti quam ab oriente & occidente spirant vt paulò supra ostẽdi, at hos ventos has regiones præterfluere & paruo tempore in illis regionibus flare in hoc tex. Hyppoc. dicit, quamobrem eas expurgare non valent, venti vero qui in illis regionibus sæpe & diu spirant occidentales sunt quos aquosissimos esse Hypp. in hoc loco affirmat, quoniam cum vesperi ab occidentali Oceano leniter spirent frigidi & humidi sunt, vẽti enim qui ab oriente & occidente flant non ita vehementer spirant sicuti illi qui à meridie & ab vrsa flant vt superius ostẽdi, quo fit vt vapores multi & crassi qui in his regionibus noctu ac mane gignuntur quod solis radij tarde eò perueniũt consumere non valeant, sed tantum aliquantisper illos agitare suaque frigiditate atque humiditate in pluuiam conuerte-

re, præsertim cum sol iam ad occasum tendit vel occidit, cœlum quoque harum regionum autumno simile esse Hypp. dicit, quia in ipsis autumnus ferè perpetuus est, quoniam satis lõgum est tempus quod inter matutinam & vespertinam horam est, quod tempus est calidissimum, cum matutina & vespertina hora frigidæ sint, at animaduertere opus est in codicibus græcis qui ab Aldo & in illis etiam qui in Germania ab Oporino & à Frobenio impressi sunt verba Hypp. ita scripta esse, quoniam venti occidentales similes sunt siue autumno talis vrbis situs maxime iuxta diei mutationes, quoniam multum medium est matutini & vespertini, equibus verbis nullus sensus elici potest vt manifeste patet, quamobrem eam vocem ἄντε quæ siue significat male scriptam esse & ἤντε scribi debere arbitror & statim poni post eas voces similes sunt autumno adeo vt verba Hypp. ita iaceant quoniam venti occidentales autumno similes sunt, & talis vrbis situs maxime iuxta diei mutationes, quoniam multum medium est matutini & vespertini, adeo vt vox illa autumno vẽtis occidentalibus & situi vrbis communis sit, quasi Hypp. dicat vẽti occidentales & situs talis vrbis autumno similes sunt iuxta diei mutationes, quoniam à frigido in calidum & à calido in frigidum quod calidum satis lõgo tempore in ea regione durat mutationes eadem die fiunt, verum quia sola coniectura scripturã aliquam mutare valde periculosum & audacis hominis est, ideo ea verba Hypp. vt in codicibus grẽcis iacent in latinum sermonem transtuli, si quis tamen verba Hypp. eo pacto legere velit quo ego ea legenda esse opinor videndum est quomodo venti occidentales autumno similes sint, dico igitur occidentales ventos autumno similes esse, quoniam in his regionibus de quibus Hypp. dicit hi venti inẽquales sunt, nam primo vespere cum flare incipiunt à regione in qua spirant quẽ tunc vi solis calescit calidi fiunt, cum autem sol magis ad occasum tendit vel iam occidit frigescunt, & ita eadem die è calido in frigidum & è frigido in calidum mutantur ideoque inæquales sunt, quam inæqualitatem à regione quæ itidem mutatur acquirunt. Perorat demum Hypp. & de ventis qui quidem vtiles & qui inutiles hominibus sũt se dixisse inquit.

Aria.

Arist.autē 31. 52.& 55. problematibus 26. sectionis Fauoniū qui ventus occidentalis est omnium ventorū suauissimū, sere num ac delectabile & 52.probl. illum leuissimum & omnium ventorum frigidissimum esse affirmat, quam sententiam ipse pluribus rationibus probat,è quibus prima hęc est,Fauonius non est ita calidus vt orientales venti & meridionales neque ita frigidus vt boreales venti sunt quod ipse inter boreales & meridionales ventos situs sit quamobrem temperatus est, ita tamen temperatus vt temperaturam humani corporis in aliquibus primarum qualitatum excellat, secus enim homines ipsum non sentirent,sensus enim vt opt.Arist.2.de anima probat ea quæ sēsum in primis qualitatibus excellūt sentit,dummodo illum in aliqua primarum qualitatum ita non excellant vt corporea sensus instrumenta corrumpant, quia igitur Fauonius talis est ideo iucundus & suauis hominibus est. Secunda ratio qua ipse dictum suum probare nititur est, venti transeunt vel in eos qui sibi oppositi vel à dextris sunt, cum igitur Fauonius post Boream flare incipiat Boreas in eum qui sibi à dextris est transit,quamobrem cum hęc mutatio à sinixtro in dextrum sit laudatur haud secus ac mite & iucūdum iuxta asperum ac difficile, præterea vt post hyemem serenitas vt plurimum fit, ita cum post Boream qui ventus hyemalis est Fauonius flare incipiat merito serenus est, at 52. probl. cum rationem reddit quare Fauonius omnium ventorum leuissimus & frigidissimus sit, ideo illum frigidissimum esse inquit quoniam ab Athlantico Oceano & post hyemem spirat cum sol vires acquirere incipit, attamen non ita frigidus est vt Boreas,quoniam ab aqua quæ in vaporem versa est non autem à niue attollitur, leuis autem & æqualis est quoniam nō à montibus neque à niue quæ vi liquefiat eleuatur, sed à pelago & per apertas planities trāsit, regiones enim quæ Boream & Austrum versus sunt sitæ montanę sunt & inæquales,at illę quę occidentē solem spectāt planę & æquales sūt, quamobrē ventus per ipsas expedite tanquam per fauces quasdā fluere potest. Cęterum 55.probl.hanc eandem sententiam aliis rationibus probat,è quibus vna hæc est,ideo Fauonium omniū ventorum sereniſſimum ac suauissimum esse quod calidorum

& frigidorum ventorum medius est, si quidem inter australes & boreales ventos situs est, quare moderate calidus frigidusque & tandem temperatus est quia naturæ vtrorumque particeps est, præterea Fauonius ab Australibus ventis mouetur, quoniam meridionales vẽti in occidentales desinunt, ipsi vero Boreales mouent, cum ergo Fauonij meridionalium ventorum finem & Borealium principium in se habeant merito suaues esse videntur, nos quoque qui Aethruriam incolimus occidentales ventos suauissimos esse sentimus præsertim illi qui Pisanos colles habitant in quibus æstate leues venti occidentales spirant quos vulgus Imbattos appellat, qui suauissimi & saluberrimi sunt, verum ad eam Aethuriæ plagam quæ orientem versus sita est nisi concitatiores sint non perueniũt, attamen si quando vehementius spirant ita vt ad eam perueniant suauissimi & saluberrimi sunt. Dico itaque Arist. Fauonium ventum suauissimum sereniſſimum ac saluberrimum esse rationibus suis opt. probare si qualitates & vires quas à suo principio habet considerauerimus, at Hypp. ventos occidentales aquosissimos & autumno similes esse affirmat in eo loco de quo ipse loquitur videlicet in regionibus illis quæ à ventis orientalibus tectæ sunt neque à Borealibus ventis aut Australibus expurgantur, nam cum Fauonij in eis per flatum nõ habeant si quidem ipsę ab orientalibus ventis tectę sunt vt dixi nec borealibus vel Australibus ventis patent Fauonij in illis extinguntur & in pluuiam mutantur & inæquales fiunt vt paulò supra ostendi, venti enim à regionibus per quas spirant varias & diuersas vires & qualitates sumunt. Cęterum cum aer elementum quoddam sit quod hominum corpora ambit locus ipsorum est, quare ea conseruare debet, id autem duobus modis facit videlicet cum suis qualitatibus eorum corpora fouet cumque respiratione innatum eorum calorem ventilat & auget illumque à fuliginosis excrementis expurgat, ac spiritus qui continue consumuntur instaurat vt in lib. de vsu respirationis Gal. docet, hos autem vsus omnes purus aer opt. præstare potest vt primo de sanitate tuenda Gal. demonstrat, illum autem aerem purum voco, cui vapores crassi turbidi caliginosi putridi vel pestilentes admixti nõ sint, nam

si vapo-

si vapores clari tenues ficci ac bene olentes aeri admixti fuerint ipse purus quoque dicetur. Auer. autem 2. colliget cap. 19. inquit fieri non posse vt vitales spiritus ex aere quem inspiramus regenerentur, quoniam illud quod mixtum est è re simplici neque nutriri neque instaurari potest, fieri enim posset si animalia è re simplici nutrirentur vt esset aliquod animal quod ex vno elemento componeretur, siquidem ex iisdem nutrimur è quibus constamus, at hominum corpora ex vno tantum elemento constare non posse Hypp. in lib. de natura humana & Gal. in primo lib. de elementis opt. probant, præterea cum in dextro cordis ventriculo animalium, quæ respirant purus ac tenuis sanguis sit è quo vitales spiritus gigni possunt nulla videtur causa cur extrinseca materia vt aer est, naturæ opus sit è qua spiritus instaurētur, dico igitur ex aere spiritus gigni vt eo loco cuius testimonio paulò supra vsus sum Gal. affirmat & Auer. rationibus ita respondeo, negando si spiritus ex aere gignuntur animans aliquod ex vno elemento fieri posse, nam totum animalis corpus è quatuor elementis constat & ideo è mixtis quæ ex iisdem constant nutritur, hoc tamen nō tollit quin aliqua animalis pars ita suapte natura alicui elemento similis sit vt ex ipso instaurari possit vt spiritus est qui & qualitatibus & substantia ita aeri similis est vt facultate spiritualium membrorum ex aere nutriri possit, aer enim tenuis calidus & humidus est vt etiam spiritus ipsi sunt. Cum autem Auer. dicebat in dextro cordis ventriculo animalium quæ respirant sanguis tenuis ac purus est è quo spiritus gigni possunt, ideo extrinseca materia naturę opus non est respondeo, sagacem naturam cum videret ad hoc vt animal seruaretur & viueret spiritus maxime necessarios esse, nō vnā & solam materiā sed duas è quibus spiritus gignerentur præparasse, ne si quando altera earum propter ægritudinem vel quamcumque aliam causam ad tot talesque spiritus gignendos quot & quibus ad animantis vitam tuendam opus est nō sufficeret, animal spirituum defectu vel malignitate periret, aer igitur animantia fouet quod locus illorum sit & innatum calorem vētilat & auget à fuliginosisque excrementis ipsum expurgat & ex eo spiritus qui calidi innati primum subiectū

sunt

sunt gignuntur & instaurantur, quia igitur purus, hos omnes vsus opt. præstare potest ideo omnibus temperamentis ætatibus sexubusque idoneus est vt primo de tuenda sanitate Gal. demonstrat, nam quod purus & tenuis sit spiritus non in ficit illosque opt. expurgat & illi qui ex ipso gignuntur clari & puri sunt, ex aere enim caliginoso & obscuro turbidi & cali ginosi spiritus gignuntur vt Gal. in commẽtario 8. tex. primi libri de morbis vulgaribus opt. probat, illum autem aerem purum dico non eum qui exquisite purus est, sed illum cui va pores crassi nebulosi putridi & caliginosi admixti non sint, media enim hæc elementa vt aer & aqua sunt nec etiam terra hæc quam calcamus exquisite pura non sunt, quod autem ad reliquas cœli qualitates attinet aliis corporibus alię aeris qualitates idoneæ sunt, sicciora namque corpora humidius, humidiora siccius, calidiora frigidius, frigidiora calidius cœ lum desiderant, tẽperatus vero aer omnibus corporibus ido neus est, veri enim est similis quod saluberrimum omnium anni temporum esse quod temperatum sit nono aphoris. tertię sectionis & secundo de morbis vulgaribus sectione pri ma Hyppoc. dixit, temperatis vero corporibus debilibusque aptissimus est, quod illis similis sit, hęc autem minime alterat agitatque, temperatum vero aerem atque temperata cor pora ea dico non illa quæ exquisitę temperata sunt sed illa quæ alicuius è primis qualitatibus aliquanto magis quam re liquarum participant, quæ primo de sanitate tuenda tempe rata dici debere Gal. quoque affirmat. Sed qua nam ratione hunc aerem cognoscemus? à situ eius loci cuius cœli natu ram explorare volumus & à natura multitudineque incola rum qui eum locum habitant, nam si vrbs illa cuius cœlum exploramus in celso colle sit adeo vt vapores & fumi qui è terra attolluntur antequam ad illum perueniant resoluti vel saltem attenuati & clarificati fuerint, nec ita collis ille sit ædi tus vt ventosus & procellosus sit vel nubes in eo cõtinuæ sint quod alij montes supra ipsum stent qui loci perflatum ita impediant vt venti eo in loco extinguantur, prẽterea collis il le arboribus, fruticibus, herbis, plantisque prẽsertim odorife ris cultus consitusque sit & oriẽtalibus ventis pateat nec pro

pe

pe lacus,paludes,ſtagna,vel antra, aut ſpecus à quibus putridi ac nebuloſi fumi exhalent,nec propè fauces alicuius angustæ vallis à qua vehemens ventus ſpiret nec ipſa ſoli pateat ſitus ſit,huius loci cœlum purum,ſalubre ac temperatum erit, quod ſi propè mare 30. ſtadiis ſitus ſit vt collem Tabiam 4. methodi ſitum eſſe Gal.ſcribit ad huc aer eius loci magis temperatus erit,nam æſtate leues venti à mari ſpirant qui cœlum frigidius & ſuauius reddũt,hyeme vero quod radij ſolis à mari terram verſus reflectuntur aer calidior fit & à ſitu loci hoc pacto aer ſalubris ab insalubri dignoſcitur. Ab incolis vero ſi multi pueruli multique ſenes in eo loco ſint,& ſi bene colorati ac quadrati incolę & mulieres fœcundæ ſint & facile pariant, prẹterea ſi habitatores eius loci cuius cœli naturam inquirimus vel propè ipſum ſunt tot non ſint vt excrementa & ſuperfluitates quas ipſi gignunt à ſole, ventis,cloacis, foſſiſq; expurgari poſſint, hac enim de cauſa in magnis vrbib. vt Lutetiæ Pariſiorum Conſtantinopoli & Alexandriæ & vbi numeroſus exercitus diu morã traxerit ſemper peſtis eſt & hac ratione ab habitatoribus aer ſalubris ab inſalubri & graui dignoſcitur.

CAPVT TERTIVM.

DE reliquis autem aquis enarrare volo,quę morbiferę & quę ſaluberrimę ſunt & quot mala ab aquis fieri probabile eſt, & quot bona, magnam enim partem ad ſanitatem conferunt.

Hypp.cum hoc tertium caput incipit de reliquis aquis vel le ſe enarrare dicit, quoniam magnam partem ad ſanitatem conferunt quod multa bona & multa mala ab aquis fieri probabile ſit & inquit velle ſe dicere de reliquis aquis haud ſecus ac ſi ſuperius de aliquibus aquis dixiſſet de quibuſdam vero dicere omiſiſſet,cum tamen ipſe ſecundo cap.huius libri de omnibus aquis dixiſſet & in primo, medicum cum ad aliquam vrbem peruenit quam non nouit quibus nam aquis in colæ vtuntur an crudis & paluſtribus vel mollibus vel ſalſis aut iis quæ ex ſublimibus & petroſis locis ſcaturiunt, conſidera re debere affirmauit. Ianus Cornarius doctus ſanè & accuratus

curatus vir Hyppoc. interpres nescio qua ratione motus eam vocem de reliquis omisit & verba Hypp. ita in latinum sermonem transtulit, cęterum de aquis deinceps narrare volo, cum tamen in codicibus græcis qui ab Aldo & in illis quoq; qui Basileę impressi sunt ea vox deinceps non legatur sed Hypp. scriptura ita iaceat περὶ δὲ τῶν λοιπῶν ὑδάτων βούλομαι διήγησασθαι, dico itaque Hypp. dixisse hic velle se de reliquis aquis dicere, quoniã in locis quos paulò supra citaui Hypp. de aquis dixit quę in illis locis de quibus ibi loquebatur erũ punt non autem de aquis simpliciter & absolute, hic autem de aquis simpliciter & absolute narrare vult, & ideo inquit velle se narrare de reliquis aquis, super erat enim loqui de aquis absolute paluſtribus vel lacuſtribus aut fontium, prout paluſtres lacuſtres vel fontanæ sunt non autem vt in terra erumpunt quæ orientem vel occidentem solem meridiem vel Boreã versus sitæ sint, sed vti dixi vt simpliciter paluſtres lacuſtres vel fontanæ sunt quoquo versus eæ sint sitę, aquas autem plurimum ad sanitatem conferre neque hic neque in primo neque in secundo cap. etiam probauit, id enim vt ex se notum reliquit. si vero aliquis diceret hanc expositionem huius vocis de *reliquis* ordinem docendi quo Hyppoc. vtitur malum reddere, nam prius de aquis vt paluſtres lacuſtres vel fontanæ simpliciter & absolute ei agendum erat quam de aquis paluſtribus lacuſtribus & fontanis quæ in aliquo loco oriuntur ita enim ordo ipsius ab iis quę communia sunt incœpisset & deinde ad ea quæ magis sunt in parte venisset qui rectus docendi modus esse videtur, primum dico bonum docendi ordinem non semper ab iis quæ communia sunt incipere, sæpius namque ea quæ sunt communia difficiliora sunt iis quę in parte existunt, cõmunia enim à sensu magis distant quam ea quę sunt in parte, & ideo illis difficiliora sunt sed ordine doctrinæ semper à facilioribus inchoare oportet, cętęrum Hyppoc. non ideo de paluſtribus lacuſtribus & fontanis aquis quæ in aliquo loco oriũtur prius egit quod eæ faciliores cognitu sint aquis simpliciter & absolute paluſtribus lacuſtribus & fontanis, sed cum ipse sibi proposuisset in hoc libro agere de locis quod ea quę ab ipsis cõtinẽtur maxime affice-

re

ré possunt, de aere autem vt locus est de aqua vero vt ad salubritatem loci maxime confert, ideo cũ superius de locis ageret de aquis etiam quæ in locis oriuntur ipsi necessario agendum fuit, deinde vero vt tractatus de aquis perfectus foret de ipsis egit vt palustres, pluuiales, lacustres, fontanæ, fluuialesque simpliciter & absolute sunt, quoniã eæ ad sanitatẽ maxime cõferunt & multos morbos vt ipse dicit facere possunt.

Quecumque igitur palustres & stagnantes ac lacustres sunt, has æstate quidem calidas & crassas atque olentes esse necesse est, tanquam eę quæ effluentes non sunt, sed aqua pluuia semper noua infertur & sol vrit, quare decolores, malę & biliosę hyeme vero à niue & glacie durę frigidę, ac turbidę necessario sunt adeo vt pituitosissimę & raucosissimę sint.

Aquæ omnes vt superius dixi vel sunt naturales vel artificiales vel partim naturales partim vero artificiales, naturales quidem sunt pluuiales, fontanæ, lacustres & pluuiatiles, artificiales autem sunt eæ quæ ex niue aut glaciẹ fiunt & illæ etiam quę è lignis & plantis extrahuntur, partim naturales & partim artificiales sunt aquæ cisternarum & puteorum fontium etiam quę per canales aliquò deducuntur, cum igitur Hypp. in vniuersum de aquis dicere statuisset, ex artificialibus eas quæ è lignis & plantis igne extrahuntur pœnitus omisit, quoniã eas non nouit, de illis autem quę ex niue & glacie fiũt dixit, de naturalibus vero omnibus egit, eas vero quæ partim naturales partim vero artificiales sunt non tractauit, quoniam earum bonitas & malitia ab iis quę ipse de naturalibus & artificialibus dixit facile cognosci possunt, inquit igitur è naturalibus aquis palustres, stagnantes, & lacustres malas esse, quod crassæ atque male olentes sint, quia non fluunt, nec mouentur sed stagnant, quamobrem sol eas æstate vrit & calidas facit, earumque tenuiores partes consumit, quare eę crassę fiunt, & cum ipsis aqua pluuialis multa admixta sit quę mala est vt ipse paulò inferius probabit & præ calore solis ferè putrescant, ideoque male olent & quia crassæ sunt & pluuialis aqua eis admiscetur turbidę sunt biliosęque, quoniam acriores à calore solis fiunt, cuius vi etiam putrescunt vt paulò supra dixi, quapropter æstate quidem illas malas esse necesse est, hyeme quoque malę sunt sed alia ratione, nam præ

cœli

cœli frigiditate niue & glacie dureſcunt ac frigefiunt turbidæque redduntur quoniam craſſeſcunt,glacies enim vt paulò inferius Hypp.probabit aquam craſſiorem facit, quamobrem cum eæ duræ ac frigidæ ſint difficulter à calido innato vincuntur humorque ipſis ſimilis pituita ſcilicet gignitur,homines quoq; raucos reddunt quod inſtrumenta vocis vt frigidæ adſtringunt & anguſta faciunt & quia difficulter ab innato calido vincuntur inęquales humores ex ipſis gignuntur & organa vocis aſpera faciũt è quibus raucedo fit, & demum paluſtres, lacuſtres, & ſtagnantes aquæ à tribus cauſis malę fiunt, ab immobilitate ab admixtione aquæ pluuiatilis & ab aere qui circa ipſas eſt,inquit deinde Hypp.

Bibentibus vero lienes quidem ſemper magnos & obſtructos ventreſque duros,tenues & calidos,humeros vero clauiculas & os extenuari,nam carnes in lienem conliqueſcunt, quamobrem graciles ſunt, voraces autem ſiticuloſoſque tales eſſe, atque ventres ſuperiores & inferiores ſicciſſimos habere, adeo vt valentioribus medicamentis egeant,& hic quidem morbus ipſis hyeme & eſtate peculiaris eſt, præterea hydropes plurimi & lęthaliſſimi fiunt.

Cum Hypp.ſuperius dixerit velle ſe de aquis dicere quoniam plurimum ad ſanitatem cõferunt & multa mala faciũt, nunc mala illa dicere incipit quę paluſtres & ſtagnantes aquę iis qui eas bibunt facere ſoleant, & inquit homines illos qui prædictas aquas bibunt lienes magnos & obſtructos habere, ſiquidem hæ aquæ craſſæ ſunt vt paulò ſupra probaui, quare cum vnà cum melancholico ſanguine ad lienem qui ſanguinem illum ad ſe trahit perueniant in eoque recipiãtur, quod viſcus ſpongioſum ac laxum ſit facile illud implent & obſtruunt,nec à liene expelli poſſunt quod aquæ quæ vnà cum melancholico ſanguine quem lien vt proprium nutrimẽtum appetit in liene recipiuntur craſſæ & durę ſint ideoque expelli non poſſunt à liene, præſertim qui vim expultricem debilem habet quod laxus & ſpongioſus ſit vti dixi, ventres vero inferiores dico duros, tenues, & calidos habent, ventres igitur duobus modis duri dici poſſunt vel quod tactui reſiſtant & ſi leuiter percutiuntur veluti timpanus quidam ſonent,vel ſi pauca ſicca & dura reddant, dico itaque illos qui ſtagnantes & paluſtres aquas bibunt vtroque modo vẽtres duros habere

bere quod hæ aquæ crassę sunt & hyeme frigidæ, quare multi humores crudi multique flatus ex ipsis gignuntur qui ventres duros primo modo faciunt, at vero quia hæ aquę hyeme frigidissimæ sunt aluum adstringunt qua de causa feces in ea diu retinentur paucæque durę & siccæ ab aluo redduntur, tenues vero horum hominum ventres sunt quia non nutriuntur, hæ enim aquæ alimentum cui admiscentur vitiant, quapropter ventres eo probe nutricari nō possunt, præsertim cū hæ aquæ vias per quas nutrimētum illud qualecumq; ipsum sit ad ventrem venire debet oppilent, calidi autem eorumdē hominum ventres sunt nō calido naturali sed acri & igneo vt calor febrilis est, quoniā vētres vti dixi obstructi sūt nec perflatum habent, quare calor augetur, nam humores cum perflatum non habent putrescunt & ideo acris & mordax calor in ipsis accenditur, qui ipsorum ventres calidos facit, humeros etiam clauiculas & faciem eos qui prædictas aquas bibunt tenues habere necesse est, & hac voce *humeros* dorsum totum, hac autem *clauiculas* pectus totum Hyppoc. significare credo, hæc enim membra bibentibus palustres & stagnantes aquas macra & tenuia necessario fiunt, quoniā carnes inquit Hypp. in lienem conliquescunt, alimentum enim humore melancholico multisque cruditatibus refertum habent vt paulò supra dixi, quare dorsum ac pectus illud non attrahunt nec sibi applicant, quapropter ipsa macra fiunt, pręsertim cum calor ipsorum præ siccitate acris & mordax sit vt paulò supra dixi, quamobrem substantiam ipsorum conliquat, quæ ita conliquata vnà cum alimento quod ipsis idoneum non est in lienē vt in debile membrū fertur & ipsum inuplet & obstruit & circa ipsum stat, id quod Hypp. significauit cum dixit ideo hos homines graciles esse quod carnes in lienem conliquescunt, alimentum vero ideo ab humore melancholico in ipsis non expurgatur, quod lien qui ipsum expurgare debet à multitudine & crassitie humorum qui in illo sunt obstructus & debilitatus est, voraces autem & siticulosos hos homines esse par est, quia prę copia crudorum humorum qui circa os ventriculi sunt cuius vsus est alimentum appetere, appetitus non naturalis nec verus in ipsis fit, fames. n. ex frigido oritur quod

os

os ventriculi adstringit,cęterum cum fames naturalis est, ventriculus est vacuus ideoque rectæ eius fibrę contrahuntur atque os ventriculi adstringũt illudque humidum alibile quod in ipso est ab eo fugunt, quamobrem bene dicebat Aristot. 2. de anima fames est appetitus calidi & sicci, quoniam ventriculi fibræ humidum illud alibile quod calidum est ab ore vẽtriculi fugunt, quare ipsum frigefit & ideo calidum appetit, siccum autem non absolute sed conferendo ipsum cum humido illo quod sitis concupiscit, & quia calidum illud quod fames expetit solidum est non autem fluidum vt est illud quod sitis cupit, at cum humores crassi & frigidi circa os ventriculi sunt,& si ventriculus vacuus non est & fibræ eius os ventriculi non adstringunt, attamen frigidum illud humorum qui circa ipsum sunt id adstringit & illud humidum alibile quod in eo est ab eo exprimit ac famem illam quæ præter naturam est efficit,ea autem est quam hi homines habent quę ipsos voraces reddit,siticulosi vero hi iidem homines sunt eadem ratione qua hydropes sitiunt, quoniam membra non nutriuntur ideoque siccescunt quare humiditatẽ appetunt & sitiunt, ventres quoque tam supernos quam infernos siccissimos habent,adeo vt si quando ipsorum aluum ducere opus sit valentioribus medicamentis vti cogantur, cuius affectus rationem paulò supra in hoc eodem tex.adduxi,hoc vnum in pręsentia addam, Hypp. cum dicit ventres superiores significare cauitates illas quę supra septum transuersum sunt vt caput & pectus, cum autem ipse dicit vẽtres inferiores, ipse cauitates eas quę sub septo transuerso sunt vt abdomen & sumen indicare. Cęterũ quia morbi quos hucusq; Hypp. hos homines vexare affirmauit facilius hyeme quã ęstate prędictas aquas bibentes inuadunt, ideo ipse inquit duritiẽ ventris & siccitatẽ ita æstate vt hyeme ipsos male habere, cur autem hyeme horum hominum ventres duri & sicci sint superius probaui, at æstate alia de causa aluus eorum sicca est & difficulter ac parum reddit, quoniam humorum qui in ea sunt tenuiores partes à calore solis in halitum digeruntur,quamobrem eę ipsorum partes quæ in aluo remanent terrestres & veluti gipseę fiunt à solisque calore ad cutim trahuntur ideoq; pauca & dura æstate

aluus

aluus reddit, at quia mala quibus hos homines hucusque laborare dixit facillime hydropes eosque lethales faciunt, ideo Hypp. intulit in his regionibus multos ac lethalissimos hydropes fieri, nam excrementa multa crassa & frigida gignuntur vt superius ostensum est quæ iecur refrigerant & valde obstruunt, quare hydropes multi ac lethalissimi fiunt, quod Hypp. vt per se satis notum probare ommisit.

Aestate autem tormina multa & intestinorum leuitates ac febres quartanæ longe inuadunt, hi vero morbi cum producuntur tales naturas ad hydropem dacunt & interimunt, & hæc quidem ipsis æstate fiunt.

Animaduertendum est in omnibus codicibus græcis impressis principium huius tex. ita legi το γαρ θερος &c. & vocē illam γαρ græcis significare enim, verum hoc in loco ea dictio γαρ enim nullo pacto significare potest, quoniam illa quæ in hoc loco continentur non reddunt causam vel rationem eorum quæ in tex. 10. qui hunc proxime antecesserе dicta sunt; Ideo dictionem γαρ legendam esse γαρ ἀντί του δὲ credo quæ vox græcis significat autē & sæpius in authoribus græcis γαρ ἀντί του δὲ & δὲ ἀντί του γαρ legitur. Cum igitur Hypp. in tex. qui hunc proxime antecedit de morbis qui eos qui palustres aquas bibunt semper vexant dixisset, in hoc tex. ad eos venit qui has easdem aquas bibentes æstate inuadunt, dicitque tormina multa, intestinorum leuitates ac febres quartanas longas hos homines male habere, è quibus tormina multa fiunt, quoniam hæ aquæ in intestinis putrescunt & acriores fiunt, cumque crassę sint hærent tunicis intestinorum & illas exulcerant, quamobrem tormina fiunt, putrescunt autem hę aquę quod pluuialibus & aliis aquis admixtæ & crassæ sunt, ideo ab innato intestinorum calore coqui non possunt, quapropter ipsę putrescunt, tunc enim putredo fit cum humidum à calido vinci non potest vt 4. meth. Auer. probauit, leuitates autem intestinorum ideo fiunt quod hæ aquæ pituitosissimæ sunt vt superius Hypp. affirmauit, quæ pituita stomachi & intestinorū mēbranas relaxat quo fit vt superfluitates & humores in illis retineri nequeant quare aluus liquida sępius quam ex consuetudine fertur, id autem intestinorum leuitas est, cętęrum cum æstate pauca pituita gignatur hyeme vero multa le-

uitas vero inteſtinorum à pituita fiat videtur potius ea hyeme quam æſtate fieri debere,attamen Hypp. inter morbos qui paluſtres aquas bibentes æſtate vexãt eam enumerat,hoc autem ipſe ideo facit quoniam & ſi pituita plurima hyeme gignitur, calore tamen æſtatis liqueſcit vt cęteri humores quoq; liquefiunt & extenuantur,inteſtina etiam ab eodem calore dilatantur,quapropter humores facilius fluunt & aluus liquida fit,bilis vero quæ in æſtate multa gignitur bili admiſcetur & aluũ protirat, quibus de cauſis hi homines leuitate inteſtinorum æſtate laborant,& febribus quartanis lõgis,nam cum humor melancholicus à liene nõ purgetur,quoniam ipſe obſtructus, ac plenus eſt vt paulò ſupra Hypp. affirmauit, ipſe per corpus fertur & vnà cum pituita qua horum hominũ corpora abundant à calore æſtatis incenditur & quartanas febres facit, & eas quidem longas quoniam humores è quibus hæ quartanę fiunt craſſi & viſcidi ſunt, ſiquidem à calore æſtatis liquefieri non potuerunt,ſed inflãmari tantũ & aduri. Sed huic ſentẽtiæ repugnare videntur Hypp.& Gal.25.aphoriſ.ſecundæ ſectionis qui dicũt æſtiuas quartanas breues eſſe, quoniã humores ſuperflui funduntur & per totũ corpus ferũtur & à calore ſolis in halitum facile digeruntur & euacuantur, quare noxiis humoribus qui quartanam faciebant cito euacuatis quartana breui finitur,nec ſolum quartana, verum etiam omnes alij morbi hac ratione æſtate breues ſunt,dico æſtiuas quartanas quantum ad anni tempus ſpectat breues eſſe ea ratione quam Gal. in commentario eius aphoriſ. quem nunc recitaui affirmat, verum quartanæ quibus bibentes paluſtres aquas æſtate laborant longæ ſunt, quod humores ex quibus ipſæ fiunt multi & craſſi ſint, quamobrem à calore ſolis vix longo tempore difflari queunt & ideo eas longas eſſe Hypp.in hoc loco dixit & ſi æſtate fiunt,qui morbi cum producuntur hos homines ad hydropem ducunt, quod Hyppoc.dictum de febribus quartanis ac inteſtinorum leuitatibus intelligere oportet,nõ autem de torminibus, quoniam tormina interimunt non autem ad hydropem ducunt,niſi interdum ex torminibus inteſtinorum leuitas oriatur quæ cum hominem traxerit tãdem in hydropem deſinit. Id demum de quartanis dicam quod

Aetius

Aetius quinto libro se legisse in lib. Hypp. de septimanis dicit, quem librum ego nunquam vidi, videlicet fieri non posse neque fuisse nec vnquam futurum esse vt aliquis homo bis quartana febre corripiatus, & verba Hypp. quæ in eo libro legi affirmat recitat, ea autem hęc sunt, λέγει δὲ οὕτως. πρῶτον μὲν τῷ τεταρτῳ πυρετῶ δὶς ὠὐτός ἄνθρωπος. οὔτε ἁλίσκεται. οὔτε ἀλωκεε ποὺ. οὔτε τἄλοιποῦ ἁλώσεται. ἢν ἅπαξ ὑγιὴς γένηται διὰ τό δε. κατὰ τὼι ἰδίαν ἑκάσου τῶν ἀνθρώπων φύσιν. καὶ τὼι ἡλικίῳ τὼι ἀκμαϊκὼι, γίγνεται ἀνάγκη. ἀκμάζουσαν γὰρ τὴν φυσιν τἄ ἀνθρώπου ἐν τούτω τῷ χρόνω τεταρταίω ἁλίσκεται πυρετῶ. παρελθούσης δὲ τῆς ἀκμῆς, ἀπολελῦθαι κὴ τἄ τεταρταίε καὶ τῆς λήψιος. quæ verba in Romanum sermonem ita transferre possumus. dicit autem sic, primum quidem quartana febre idem homo bis neque corripitur nec vnquam correptus est, neque de cętero corripietur si semel sanus fiat propter hoc, iuxta propriam vniuscuiusque hominum naturam & vigentem ætatem necessario fit, vigentem.n. naturam hominis in hoc tempore quartana febre corripitur, cum autem vigor ætatis transierit, exolui à febre & ab eius inuasione, vbi animaduertendum est verbum illud κατὰ in græcis verbis quod nos trāstulimus in hoc verbum iuxta bis debere legi videlicet κατὰ τὴν ἰδίαν &c. & cū dicit ἀκμάζουσαν γὰρ quasi dicat κατὰ ἀκμάζουσαν γὰρ &c. nisi mendum sit in scriptura & pro ἁλίσκεται legendum sit ἁλίσκεθαι, ita & in latinis verbis legēdum est iuxta propriam vniuscuiusque hominis naturam & rursus iuxta vigentem.n. naturam hominis &c. secus enim verborum structura non bene iaceret vt manifeste apparet. Verum Ioan. Frenellius vir sanè doctus & accuratus secundo libro de abditis rerum causis vnum tantum hominem bis quartana febre laborantem se vidisse affirmat, ego quoque cum iam medendi facultatem ferè 40. annis exercuerim vnum hominē 30. annos natum frigidi & sicci temperamenti bis spatio trium annorum quartana febre correptum alterum vero itidem bis quartana laborasse vidi. Crediderim ego verba Hypp. quę Aetius recitat de quartana exquisita intelligenda esse, quæ ex solo & puro humore melancholico fit, qui humor frigidus & siccus est veluti lapis quidam vel testa aut os quoddam quæ omnia difficulter

culter & paulatim incenduntur, ac necesse est vt quartana ex quisita fiat ac multum humorē melācholicum genitum esse, quare opus est vt ratio ante actæ vitæ, naturale temperamentum, ætas, anni tempus & tempestas omnia idonea fuerint humori melancholico gignendo vt Gal. 2. de differentiis febriū opt. docet, Hyppoc. quoque in verbis illis quæ Aetius recitat idem significare videtur cum iuxta propriam vniuscuiusque naturam & vigentē ętatem fieri inquit, trāsacta autem vigente ætate si propter quartanam homo sanus fiat, à quartana & eius inuasione liberabitur nisi quartana in alium morbū transierit videlicet in lienis vel iecinoris tumorem non enim amplius ab ea corripietur quod in quartana nihil fumidum vel semicombustum relinquitur vt neque in lapidibus vel testis aut ossibus cum incenduntur vt in loco cuius testimonio paulo ante vsus sum Gal. affirmat, & ideo antequā tantus humor melancholicus gignatur vt ex eo quartanam exquisitā rursus fieri possit iam ætatis vigor pertransiit, tuncque innatus calor imbecillior factus est quam tantum humorem melancholicum gignere possit vt exquisitam quartanam facere valeat, nam cum humor melancholicus fex sanguinis sit, cineri proportione respōdet, & quemadmodum si multa cinis fieri debet vehementi & magno igne opus est, ita si multa sanguinis fex gigni debet oportet vt multus sanguis gignatur, hic aūt gigni non potest nisi calor innatus plurimus & acrior sit, cęterum cum ipse vt paulò supra dixi cum ætatis vigor iam pertransiit imbecillis sit non solum multum humorem melancholicum gignere sed neque ipsum incendere valet, at quartanę illæ quæ in pueritia & adolescentia & demum ante vigoris ætatem fiunt exquisitæ quartanæ non sunt, quoniam eæ ætates tanto humori melancholico gignendo idoneę non sunt vt quartana exquisita ex eo fieri possit, ideo homines ipsis quamuis raro bis corripiuntur, quoniam in his ætatibus tantus humor melancholicus difficulter gignitur vt ex illo quartana etiā spuria fieri possit & hæc sunt quæ de hoc probl. obscuro sanè ac difficili probabiliter dici posse mihi visa sūt.

Hyeme autem iunioribus quidem pulmonis inflammationes & furiosi morbi, senioribus vero propter ventris duritiem ardentes febres.

Cum

Cum Hyppoc. in eo tex. qui hunc proxime antecedit de iis morbis dixerit qui æstate paluſtres & lacuſtres aquas bibentes inuadunt, nunc tranſit ad eos morbos qui hos eoſdem homines hyeme vexant, & inquit hi homines ſi iuniores fuerint facillime pulmonum inflammatione hyeme laborant, nam cum inflammatio calidus affectus ſit facilius iuniores qui calidi quam ſeniores qui frigidi ſunt inuadunt, ſed cur magis hyeme quam aliis anni temporibus pulmonum inflammatio iuuenes male habet? Gal. in commentario 23. aphoriſ. tertię ſectionis inquit ideo hyeme pulmonũ inflammationes fieri, quoniam inſtrumenta reſpirationis à frigore maxime lędun tur, ſiquidem ea vt reliquas corporis partes ita obtegere non poſſumus vt frigus non ſentiant, neque reſpirationẽ cohibere aut aliter reſpirare poſſumus quam nunc reſpiramus. Cętęrum & ſi frigiditas reſpirationis inſtrumenta lędit quonam modo inflammationem qui calidus affectus eſt facere poteſt? dico hyemis frigiditatem hos morbos facere poſſe conſtringendo & ſpiritualium membrorum quæ calidiſſima ſunt in iuuenibus præſertim perflatum prohibendo, quamobrem illorum membrorum calor ita augetur vt pulmonem inflammare valeat, ſpongioſam enim ſubſtantiam habet & ideo facillime fluxiones & calorem in ſe recipit illumque ſuo conti nuo motu auget, inſania quoque iuuenes, paluſtres ac lacuſtres aquas bibẽtes hyeme laborare Hypp. dicit eadem ratione, nam cum hæc corpora vt ſuperius Hypp. dixit humoribus melancholicis abundent, nec perflatum hyeme propter aeris frigiditatem habere poſſint calor eorum ita augetur vt ipſos furioſos faciat. Verum cur Hypp. 2. aphoriſ. tertiæ ſectionis furores & atras biles inter morbos qui vere fieri ſolent enumerat? reſpondeo ideo Hyppoc. furores & atras biles inter morbos qui vere fiunt eo in loco enumerare, quoniam illo tẽ pore anni humores omnes mouentur, quare nil mirum ſi ea corpora quę humoribus melancholicis & acribus abundant cum ipſi mouentur in furorem incidunt, at hic cum de corporibus loquatur quæ multos craſſos ac viſcidos humores viſceraque obſtructa habent, quare verſus inferiores corporis partes humores moueri non poſſunt hyeme furoribus iu-

uenes affligi dicit, nam cum ab hyemis frigiditate vt dixi per flatus corporis impediatur, calor in materia illa crassa viscida ac densa ita augetur vt cum non possit ad inferiores corporis partes moueri propter visceruin oppilationem ad caput fertur illosque furiosos reddit. Seniores vero ardentibus febribus hyeme propter vētris duritiem laborare dicit, quia feces diu in ipsis retinentur quod aluus nihil vel parū reddit, quod excrementa siue melancholica siue pituitosa flauæque bili admixta diutiusque in ventre quam oportebat retenta, ideoq; sicca sunt nec perflatum hyeme habere possunt, quamobrem putrescunt ardentemque febrem faciunt in senibus, non autē in iuuenibus quoniam hi expultricem facultatem vehementiorem quam illi nec aluum ita adstrictam siccamq; vt senes habent. Cęterum Hypp. 14. aphoris. primæ sectionis dicit, senes quod frigidi sunt acutis febribus nō laborare vel raro vt adolescentes, at hic senes ardentibus febribus quę acutissimæ sunt affligi affirmat. An quia senes quantum ad ætatē spectat acutis febribus nō vexari vel raro ibi dicit, at hic nō dicit simpliciter senes ardentes febres inuadere, sed senes qui palustres ac lacustres aquas bibunt, ideoque aluum adstrictam & siccam habent, pluribus excrementis referti sunt quam iuuenes qui facultates expultricem & concoctricem valentiores quam senes habent, quamobrem & si palustres ac lacustres aquas bibunt vt senes, minus tamen quam ipsi ardentibus febribus hyeme laborant. Sed rursus quęreret aliquis cur Hyppoc. de hyeme & æstate solum mentionem fecerit, ver autem & autumnum ommiserit, an quod Hyppoc. in hoc loco de morbis agit qui bibentes palustres & lacustres aquas affligunt vt ab ipsis aquis primo fiunt, non autem ab anni temporibus, adeo vt anni tempora manifestent & moueant morbos quos aquæ illæ faciunt, non autem primo illos faciant, ideo non ita exacte de temporibus anni dixit vt tertia sectione aphoriss. præsertim cum veris prima pars hyemi, vltima vero autumno similis sit, prima vero pars autumni æstati, vltima autem hyemi assimiletur, ideoque morbos manifestare ac mouere possunt similes illis quos hyems & æstas mouent & manifestant, non autem primo faciunt & hac eadem ra

tione

tione hic de iuuentute & senectute tantum meminit & paulò inferius de infantia & ætate constituta, exquisitam autem ætatum diuisionem quam tertia aphoriss. sectione fecit hic ommisit.

Mulieribus vero humores innascuntur & alba pituita, vixque concipiunt & difficulter pariunt, & infantes magnos ac tumidos deinde propter alimenta tabescentes & mali habitus fiunt, purgatioque commoda post partum mulieribus non prouenit.

Cum Hypp. in tex. qui hunc proxime antecedit de morbis qui iuniores & seniores viros stagnantes aquas bibentes vexant dixisset, nũc ad eos morbos transit qui mulieres has easdem aquas bibentes affligunt, tumoresque ipsis innasci dicit, quamobrem animaduertendum est Hyppoc. hac græca voce οἰδήματα omnem tumorem præter naturam significare quicumque is sit, Gal. vero & alij iuniores medici hac eadem voce non quemcumque tumorem præter naturam significant, sed eos tumores præter naturam qui è pituita fiunt & molles ac laxi sunt, quamobrem cum hic Hyppoc. dicit has mulieres œdemata inuadere ego transtuli eam in tumores quoniam Hypp. ea voce nõ solos pituitosos laxos ac molles significare voluit sed quemcũque tumorẽ qui ex humoribus pituitosis crassis ac viscidis fit, hę. n. mulieres quę stagnantes aquas bibunt cum viris frigidiores sint multo magis humoribus pituitosis crassis & frigidis refertæ sunt quam viri, albam quoque pituitam illis innasci Hypp. in hoc tex. affirmat, quibus verbis illud aquę intercutis genus quod græci λευκοφλυγματιάο dicunt significare videtur, cum corpus inęquale est, tumoribus aliter aliterque per totum orientibus, nam cũ aquas bibant quæ crassæ ac durę sunt eæque vna cum alimento per totum corpus ferantur id pituita & crasso pituitosoque sanguine implent quod ab innato calido non coquitur, vixque concipiunt, cuius affectus rationem reddunt Hypp. & Gal. 5. sectione aphoriss. aphoris. 62. in quo Hypp. dicit quæcumque vteros frigidos & spissos habent non concipiunt, nec vllam rationẽ reddit cur mulieres quæ hos vteros habent non concipiant, at Gal. in commentario eius aphoris. dictum Hyppoc. illustrans inquit, has mulieres ideo non concipere quod ora

vasorũ quæ ad vterum feruntur valde angusta habent, quamobrem secundæ oris vasorum adnasci non possunt & si interdum adnascuntur ali non possunt, quod præ vasorum angustia alimentum ipsis idoneũ eò peruenire non potest, sed tantum sanguis quidam tenuis ac pituitosus qui alimentũ ipsis idoneum non est, at hę mulieres quæ palustres ac lacustres aquas bibunt nõ solum hac de causa steriles sunt verum quia vteros non solum frigidos sed etiam humidos habent, vteri enim reliquo corpori temperatura similes sunt vt bene Gal. in commentario eius aphoris. quem nunc citaui affirmat, quia igitur totum earum corpus frigidum & humidum est, vterus quoque illarum frigidus est & humidus, quamobrẽ viri genitura nisi calidissima sit à nimia vteri frigiditate extinguitur, haud secus ac cerealia semina cum in palustrem & aquosam terram iniiciuntur, & animaduertendum est Hypp. hoc in loco non dicere has mulieres esse omnino steriles, sed vix concipere, quoniã nisi magnus sit excessus frigiditatis & humiditatis vteri ipsarum, hæ mulieres non sunt omnino steriles sed vix raro & difficulter concipiunt, & ægre pariunt, & enim vterus earum vt etiam venter propter aquarum quas bibunt duritiem & crassitiem adstrictus est, quamobrem difficulter aperiri ac relaxari potest, ideoque ipsę ægre pariunt, facultas quoque expultrix imbecillis est, ea namque calido viget, hę autẽ quod multis pituitosis humoribus abundent frigidæ sunt, fœtus quoque earum magni ac tumidi sunt vt mox Hypp. dicet quapropter ægre pariuntur, fœtus quoque magnos & tumidos ædunt, quod hæ mulieres vt Hyppoc. dixit ægre pariant, quamobrem infantes nascendo laborant, eorumque corpusculum calefit, ideoque tumet quod ab eo calore dilatatur subtilioresque corpusculi humiditates in halitum resoluuntur, prętera alia ratione eorum corpusculum tumidum est, quod pituitoso nutrimento in vtero matris nutriti sunt, deinde vero cum nati sunt mali habitus fiunt, quod lac quod ab vberibus matris sugunt pituitosum frigidũ ac tenue nec ipsis idoneum alimentum est, & si menstruus sanguis quo fœtus in vtero matris nutriuntur pituitosus frigidus ac tenuis est, tamen fœtus ex eo nutriuntur ita vt non tabescant, quoniam facile

miliari

miliari illo calore vteri qui eos continet ita fouentur & ad concoquendum alimentum ita iuuantur vt non tabescãt nec mali habitus fiant, at post quam æditi sunt ab illo calore desti tuti tabescunt malique habitus fiunt vt Hypp. dicit præ alimenti malitia, quę etiam causa fuit, vt Hypp. eos dum oriuntur tumidos esse dixerit, quod malo alimento etiam in vtero matris alti sint, pręterea commodas purgationes post partũ his mulieribus non prouenire Hypp. asserit, quod ora vasorum vteri adstricta sint quòd vteri earum præ frigiditate spissi ac duri sint, quamobrem per ea purgationes commode pro uenire non valent, præsertim cùm ipsa propter eorum angustiam facile obstruantur.

Puerulis vero herniæ plurimum fiunt, & viris varices ac vlcera in cruribus quapropter tales naturę longeuę esse non possunt, sed antequam tempus adueniat senescunt.

Cum Hypp. dixisset de morbis qui iuuenes senes & mulieres palustres & stagnantes aquas bibẽtes inuadunt, nunc transit ad morbos qui viros & puerulos ex his mulieribus nascentes affligunt, ac puerulos plurimum hernias, viros autem varices & crurum vlcera pati dicit, puerulos vero herniæ male habent, quia pituita referta sunt vt superius dixi, quare peritonęi hostia per quæ vasa seminaria in testes descendunt relaxantur quo fit vt humores vel intestina in scrotum descendant, interdum que hi humores ipsi scroto adhęrent & spongiosa quædam caro fiunt, sicque pueruli inhernias incidunt, viri autem crurũ vlceribus & varicibus afficiuntur, quod multi humoris melancholici corpora eorum plena sint, qui cum à liene quod obstructus est purgari non potest, in crura descendit quia grauis est & crura suo frequenti motu humores ad se alliciunt, qui si acriores fuerint & bili admixti vlcera, si vero crassi varices faciunt, hos homines denique longę vitæ esse non posse quasi perorans Hypp. dicit, sed cito senescere quod dictum non ad puerulos qui hernias nec ad viros qui varices & crurum vlcera patiuntur non est referẽdum, sed ad omnes homines & mulieres qui palustres, lacustres, & stagnãtes aquas bibunt, ac si Hypp. dixisset omnes homines qui prę dictas aquas bibunt cito senescuntnec diu viuunt, quoniam

ex

ex his aquis multa excrementa in eorum corporibus gignun tur, ea autem corpora quę multis ſuperfluitatibus referta sũt, nec ſana nec longęua eſſe poſſe ſuperius probaui.

Mulieres etiam concepiſſe opinantur & quando partus adeſt ventris plenitudo deiicitur, id autem fit ab aqua cum vteri aqua inter cute laborant, & has quidem aquas ad omnem rem inutiles eſſe arbitror.

Poſtquam Hyppoc. in tex. qui hunc proxime antecedit de morbis dixit, qui puerulos & viros qui ſtagnantes aquas bibunt vexare ſolent, & omnes has naturas ſiue pueri ſiue viri ſeu ſenes vel mulieres fuerint non poſſe longęuos eſſe ſed an tequam ſenij tempus adueniat ſeneſcere affirmauit, nunc ad morbum quendam qui has eaſdem mulieres infeſtare cõſueuit, reuertitur. Non negarim Hypp. in hoc libro longe meliorem ordinem quam illum qui in eo eſt præſertim in hoc tertio cap. deſiderari poſſe, quod eadem librariorum in curia cueniſſe credo qua bona huius libri pars in lib. Hypp. de vulneribus capitis importata eſt, cęterum quia in codicibus Germanis & in iis etiam quos Aldus impreſſit, hic ordo ſeruatur nec aliquem alium codicem antiqum ſcriptum adhuc inuenire potui in quo ſcriptura aliter iaceat, ideo hunc ordinem qui in impreſſis codicibus legitur qualiſcumque ipſe ſit obſeruabo, præſertim cum magnorum virorum libros ſola coniectura emendare nimis periculoſum & audax mihi videa tur, inquit igitur Hypp. prędictas mulieres ſępe ſe concepiſſe opinari, & cum tempus pariendi adeſt tumor ventris deiicitur, quod fit quoniam earum vterus aqua inter cute laborat, quę aqua vel inflatum reſoluitur qui per ſedem emittitur vel aqua remanet quod craſſior ſit & mingitur quamobrem ventris plenitudo deiicitur, earum vero vterus ideo aqua inter cute laborat quod vterus reliqui corporis temperamento ſimilis eſt vt paulò ſupra probaui, corpora vero hominum qui ſtagnantes aquas bibunt frigida & humida ac multis excrementis referta ſunt, at affectus ille qui aqua intercus dicitur nil aliud eſt niſi multitudo humorum qui craſſi & frigidi sũt, qui ex ſtagnantibus aquis quas ipſi bibunt gignuntur, ſiquidem ipſę duræ craſſę & frigidæ ſunt vt ſuperius dixit Hypp. Illud autem animaduertendum eſt cur ventris tumor cũ tem

pus

pus partus aduenerit deiiciatur, partus enim naturæ opus est ideoque certis tẽporibus statuto ordine ac propriis legibus à natura fit, verum tumor ventris prędictarum mulierum opus nature non est sed affectus quidam præter naturam, quare nõ videtur vt ipse vsque ad tempus partus durare debeat & dein de finiri, dico primum affectus quoque præter naturam vt morbi sunt certis & statutis diebus ac propriis naturæ legibus moueri & finiri vt bonæ & perfectæ crises demonstrant, quæ quarto vel septimo vel 14. die fiunt vt Gal. primo de crisibus & in libris de diebus decretoriis probat, quęcumque sit ea causa quę his diebus hos motus facit, qui motus cum boni sint & si morbi naturales non sunt attamen sunt naturales facultati expultrici eius qui hos morbos patitur, cętęrum cum hi motus iuxta naturæ leges non sunt tunc malæ crises fiunt quæ etiam certis & statutis diebus fiunt vt ea crisis plerumq; est quæ sexta die fit, verum cum hic affectus de quo Hypp. in hoc loco dicit aqua intercus ipsius vteri sit, qui morbus suapte natura lõgus est, ideo vsq; ad tempus partus durat quod eo tẽpore vterus ad partũ secundas & alias mẽbranas expellendas quæ ipsum grauant mouetur, nã pituita quæ in eo est ipsum grauat & tempus quo vterus mouetur vt onera ipsum grauantia expellat iam propè est, ideo nil mirum si tunc ad pituitam expellendam quæ ipsum grauat insurgit, & vt partus qui naturalis affectus est aliquando citius aliquando tardius fit, multo magis pituita qui vtero naturalis non est nunc citius nunc tardius à natura expellitur dummodo tempus pariendi propè sit, Hyppoc. demum perorat & inquit has stagnantes aquas nulli rei idoneas esse vt sunt aquæ illæ de quibus paulò inferius ipse dicet quæ & si malę attamen alicui rei sunt.

Secundę vero quarum fontes è petris fuerint, crudas enim illas esse necesse est, vel illic vbi calidæ aquę sunt, vel ferrum gignitur aut æs aut argentum vel aurum aut sulphur aut alumen vel bitumen aut nitrum, hęc enim omnia à vi caloris fiunt, non igitur è tali terra bonæ aquę erumpunt sed durę ac æstuosę quę & difficulter vrinantur & alui deiectioni contrarię sunt.

Perseuerat Hypp. in enumerandis malis aquis è quibus stagnantes aquas primum locum tenere in tex. qui hunc proxi-

me

me antecedit multis rationibus probauit,nunc autem ſecundum locum tenere ait aquas fontium qui è petris ſcaturiunt, has autem malas eſſe probat quod eas crudas eſſe neceſſe eſt, nam eius loci naturam è quo oriuntur neceſſario ſapiunt,qui cum durus & frigidus ſit,aquas etiam quę ex eo oriuntur duras & frigidas neceſſario facit, ita vt gignendis calculis idoneæ ſint,& difficulter præcordia pertranſeant, multaque pituita ex ipſis fiat,quod difficulter ab innato calore vincantur, malas quoque aquas illas eſſe affirmat quæ propè calidas aquas naſcuntur, & ſi eæ aquæ calidæ medicamentoſæ non ſunt,malę etiam aquæ illæ ſunt quę è terra ſcaturiunt vbi ferrum,æs,argentum,aurum,ſulphur,vitrum, alumen, vel bitumen fit,quæ ideo male ab Hyppoc.dicuntur,quoniam omnia hæc metalla vi caloris fiunt,quamobrem è tali terra aquæ bonæ non erumpunt ſed durę & æſtuoſę, qua de cauſa difficulter minguntur & alui deiectioni contrariæ ſunt, animaduertendum tamen eſt quaſdam aquas calidas ſolum eſſe & ſponte naſci nullius autem medicamenti qualitatem præſeferre, quas medicamentorum quæ ſanitati tuēdæ idonea ſunt fines non excedere primo de tuenda ſanitate Gal.affirmat, alię vero calidæ ſunt ſponteque naſcuntur & medicamenti alicuius vel metalli veluti nitri,bituminis aut argenti naturā ſapiunt, quas omnes malas eſſe in hoc loco Hyppoc. dicit, nec ſolum ipſas verum etiam illas quæ in eodem loco erumpunt vbi hæ medicamentoſæ aquæ oriuntur, malas quoque etiam aquas illas Hypp. affirmat quæ eo in loco erumpunt vbi ferrum æs atque bitumen vel alia metalla & medicamenta naſcuntur, ferrum enim & æs atque omnia alia metalla & medicamenta quę in hoc loco Hypp. enumerat, ideo malæ ſunt quod hæc omnia vi caloris fieri Hypp.dicit, nam aquæ illæ quæ calidæ ſolū ſunt vel è loco vicino illi è quò hæ calidæ aquæ naſcuntur erumpunt, vi caloris calidæ ſunt,qui tenuiores partes illarum aquarum in halitum digerit, quamobrem terreſtres & craſſiores illarum partes remanent metallique illius vel medicamenti quo terra illa particeps eſt naturam ſapiunt, quapropter è tali terra bonæ aquę naſci non poſſunt ſed duræ quia craſſę & terreſtres ſunt & æſtuoſę natura ſi frigidæ ſunt

adſtrin-

adſtringunt & difficulter ac tarde præcordia pertranſeunt, ſi vero calidę & medicamentoſæ fuerint igneum caloré in prę-cordiis gignunt ac tarde & difficulter ab innato calore vincuntur, quapropter æſtum & inquietudinem in animali gignunt difficulterq; minguntur vel quod adſtringunt quia frigidæ sũt vel quia craſſę & terreſtres ſunt tarde vrinarios meatus pertranſeunt, deiectionique cõtrarię ſunt quod nimis inteſtina caleſaciunt & exiccant. Longum & ſuperfluum quoque mihi viſum eſt metallorũ ortum & naturam hoc in loco tractare, nam hoc munus philoſophorũ eſt, nobis vero vt me dicis ſatis ſit ſcire omnia hæc vi caloris fieri quod neque philoſophi negabunt, ideoque omnes has aquas malas nec potui idoneas eſſe Hypp. dicit.

Optimę autem ſunt quę è ſublimibus regionibus & terreſtribus tumulis fluunt, hæ enim & dulces & albę ſunt, vinique parum ferre valent, hyeme vero calidæ, æſtate autem frigidę ſunt, ſic enim è profundiſſimis fontibus exiſtũt, maxime autem eę laudandę ſunt quę ad ſolis ortum preſertim æſtiuum fluunt, hæ namque ſplendidiores, bene olentes & leues eſſe neceſſe eſt.

Poſtquam Hypp. de malis aquis dixit ac de morbis qui eas aquas bibẽtes vexant, nunc ad optimas tranſit & inquit eas opt. eſſe quæ è ſublimibus regionibus terreſtribuſque tumulis fluunt, quas ideo opt. eſſe affirmat quoniam eę albæ ac dulces ſunt vinique parum ferre valent, hyemeque calidę æſtate vero frigidæ ſunt quod ideo ipſis accidere ait quod è profundiſſimis fontibus ſunt, & ex iis quæ prædictas qualitates habent illas maxime laudandas eſſe Hypp. affirmat quæ ad ſolis ortum præſertim æſtiuum fluunt, quas aliis bonis aquis longe meliores eſſe dicit, quod reliquis ſplendidiores bene olentes & leues ſunt. Animaduertẽdum itaque eſt has aquas quas ipſe opt. eſſe dicit dulces & albas eſſe, quare autem aquę bonæ dulces dicantur ſuperius dixi, cum autem albas eſſe affirmat illas pellucidas eſſe ſignificat, cum autem ipſe ait has aquas parum vini ferre nil aliud dicit quam parum vini eas ſibi ſimiles facere & in ſubſtantiam ſuam illas pœnitus ferè conuertere, haud ſecus ac nos dicimus lene vinum illud eſſe quod in aqua minime valet quod aquæ parum facillime vinum illud afficiat & in naturam ſuam ferè conuertat. Cum autem

tem Hypp. hic dicit has aquas è fontibus fluunt qui ortum solis spectant bene olentes esse, eas nullum odorē habere significat adeo vt neque sulphur neque bitumen nec aliud medicamentum oleant, sed sine aliqua manifesta qualitate sint vt alibi ipse dixit ἄοσμοτάτον ὕδωρ opt. aquam esse vt ego paulò supra dixi. Cęterum hic dubitare aliquis posset quod ego paulò supra dixi aquarum arte carentium eam optimam esse quæ leuissima est, leuissimam autem illam esse quæ ex æthere & à nube non continua fit nec procellosa est, deinde illā quæ cum tonitruo vel fulgure descendit, at Hypp. in hoc loco illam quę è fontibus qui in regionibus sublimibus & terrestribus collibus erumpit opt. aquam esse affirmat, dico Hyppoc. cum aquam quæ ex æthere est opt. esse dicit, eam ex omnibus aquis quę arte carent opt. esse affirmat, hic vero non de omnibus aquis quæ arte carent sed de fontanis solum loquitur, è quibus eas opt. esse affirmat quæ è fontibus fluunt qui in regionibus sublimibus & terrestribus collibus sunt, præsertim si ad æstiuum solis ortum fluant, fontanas vero aquas quæ è sublimibus regionibus & terrestribus tumulis fluunt æstiuumque solis ortum spectant, ideo opt. esse Hypp. dicit quoniam cætęris aquis splendidiores, bene olentes & leues sunt, quoniam vapores è quibus hæ aquæ gignuntur in sublimibus regionibus puriores ac leuiores sunt quam illi qui è campestribus & planis locis attollūtur, nec ab illis cum terrestres sint cruditatem vel duritiem aliquam accipere possunt, si vero hæ regiones terrestresque tumuli ortum solis præsertim æstiuum spectent, adhuc longe puriores, leuiores ac melius olentes cætęris aquis à calore solis fiunt, nam regiones illæ quæ orientem solem spectant cętęris regionibus calidiores ac lucidiores sunt vt paulò supra probaui, indicium bonitatis harum aquarum est, illas æstate frigidas, hyeme vero calidas esse quod è profundissimis fontibus fluunt, ideo iure quæreret aliquis qua nam ratione fieri possit vt aquæ quæ è profundissimis fontibus scaturiunt hyeme calidæ æstate vero frigidæ sint, & cur hæ eędem aquæ cętęris præstantiores sint, dico has aquas quæ è profundissimis fontibus scaturiunt hyeme calidas, æstate vero frigidas esse vt in hoc loco Hypp. dicit

cit propter antiperistasin, quamobrem vt hæc melius intelligantur aliqua de antiperistasi breuibus dicere opus est, antiparistasis ergo circum obsistentia quædam est calidi circa frigidum & frigidi circa calidum, hãc autem nullam esse Gal. 3. de simplicium medicamentorum facultatibus affirmauit, puteales vero & fontanas aquas æstate frigidas quod corpora nostra calida sint hyeme vero calidas videri quia corpora nostra frigida sunt, haud secus ac lotium quod cum in balneo sumus frigidum sentimus quod corpus nostrum à balneo calefactum est, cum autem extra balneum sumus ipsum calidũ videtur, quoniam corpus nostrum iam frigefactum est, quod caliditas qua à balneo affectum erat iã deferbuerit. Hęc sententia partim vera partim autem falsa est, nam cum corpus nostrum ex calefactum est, ea quæ ad ipsum admouentur frigida videri, cum autem ipsum refrigeratum est ea quæ illud tangunt calida ei videri verissimum est, vt experientia ipsa docet, cęterum puteorum & fontium aquas si bonæ fuerint æstate frigidas, hyeme vero calidas non esse sed videri solum, hoc falsissimum est, nam summo mane ac noctu cumque quieuerimus corpus nostrum non ita calescit vt ea quæ vere frigida non sunt frigida sentiat, quemadmodum lotia quæ frigida non sunt in balneo frigida sentit quod à balneo ex calefactũ est, itidem hyeme saltem cum ad ignem accesserimus corpus nostrum adeo non friget vt ea quę vere calida non sunt calida sentire debeat, attamen tunc temporis fontanas ac puteales aquas bonas, tepidas sentimus, prętera Gal. sibi ipsi satis constare non videtur, nam in commentario 15. aphoris. primę sectionis cum rationem reddit quare ventres hyeme & vere calidissimi sunt eos hyeme calidissimos esse inquit quoniã calor cœli ipsum ambientis frigiditatem refugiẽs in intimas corporis partes se recipit, æstate vero in ambientis aeris calorem veluti in sibi similem se diffundit, ideoque intimę animantium partes hyeme calidæ, æstate vero frigidæ sunt, hac eadem ratione ego dicam intimas terrę partes æstate frigidas, hyeme vero calidas esse, fonteſque & puteos quæ ex intimis terræ partibus nascuntur hyeme calida, æstate vero frigida esse, sed quomodo nam hæc antiperistasis calidi & frigidi

gidi sit? non enim calidum in locum frigidi & frigidum in locum calidi succedit, accidens enim ex vno subiecto in aliud migraret quod fieri non posse philosophi firmissimis argumentis demonstrant, An calidum quod in profundis terræ partibus est in se colligitur quod terræ superficies à frigiditate cœli quod eam ambit dēsa ac dura reddatur, quamobrē calor ipse cum perflatum habere non possit in se colligitur & multiplicatur & aquas quæ in eo loco gignuntur calefacit, æstate vero quia a calore solis terrę superficies extenuatur ac rarefit, ideo calor qui in terræ visceribus est perflatum habet & in calorem solis veluti in sibi similem diffunditur vt dictū est, quamobrem intimæ terræ partes frigidæ fiunt & aquas quę inde oriuntur frigefaciunt. Sed qua nam ratione calor qui in terrę visceribus includitur aquas calefaciat æstate vero cum perflatum habet ipsas frigefaciat Hypp. in libro de natura pueri apertissime declarat, inquit enim hyeme à frigore cœli & ab aqua quæ pluit quę propter aeris frigiditatem hyeme quam æstate crassior & grauior est, terram constipatam & constrictā esse, at omnia quæ cōstipata sunt si humida fuerint facillime calescunt vt pelles & cerealia semina indicant, quę si humida fuerint & constringantur ac constipentur facillime & vehementer calent, adeo vt pelliceas vestes dum constipatæ & constrictæ fuerint quasi ab igne combustas se vidisse eo in lib. Hyppoc. affirmet, quod ideo fit quia vapores illi qui ex humiditate quæ in illis corporibus est attolluntur perspiratū non habent, nec frigiditatem quæ calorem illorum corporū attemperet propter terræ constipationem recipere non valent, idem quoque in profundioribus terræ partibus hyeme fit, nam cum extimæ terræ partes à cœli frigiditate & ab humiditate pluuiali constrictę ac constipatæ sint spiritus qui à profundis partibus terrę eleuatur perflatum non habent nec frigus admittere queunt propter superficiei terrę densitatem vehementer calefiunt & cum vltra eadem de causa progredi non possint retrocedunt & in aquā calidam mutātur quapropter fontes maiorem aquę copiā emittunt & putei plus aquæ hyeme quam æstate in se ipsis habent & eam quidem calidiorem vt dictū est, æstate vero fontes & putei pauciorem ac frigidiorem

gidiorem aquam habent quam hyeme, quod terra vi caloris rarefacta & attenuata est sol autem ab humiditate terrę (nam semper in ea humiditas est) vapores attrahit qui per raritatem terrę transire possunt & humor qui in ea est deorsum sua pte natura mouetur motuq; suo ventum concitat, qui deinde terram & aquam frigefacit, ideoque fontes & putei minorem aquæ copiam & frigidiorem æstate quã hyeme habent. Quod res ita se habeat Hypp. hoc experimento probat, si quis vtrem aqua pœnitus impleat deinde acu vel aliquo tenui stilo ipsũ per foret & vtrem suspẽdat nil aliud nisi aqua ex vtre exibit, quoniam ille plenus est nec aqua moueri potest ita vt spiritum concitare valeat, sin autem vter pœnitus aqua plenus non sit adeo vt aqua moueri possit, tunc spiritum gignet qui per foramẽ illud exibit, ita res se habet in terra hyeme & æstate, nam hyeme terra à cœli frigore & à pluuia constricta est, ideo humor qui in ea continetur per flatum nõ habet nec moueri & motu suo spiritũ gignere potest, æstate vero quia à calore cœli terra attenuata & rarefacta est, humor qui est in ea perflatũ habet & moueri & motu suo spiritum gignere potest, qui deinde terrã & aquam frigefacit, nam ventus ab aqua vel niue vel ab aliquo alio humore semper eleuatur vt superius probaui, ex aquis igitur quæ æstate frigidę, hyeme vero calidæ sunt eas maxime laudandas esse Hyppoc. dicit quæ versus æstiuum solis ortum fluunt, has namque bene olentes, leues cętęrisque splendidiores esse necesse est, quę vero aquę leues & bene olentes sint superius dixi, eæ vero aquę quæ oriẽtem solem spectãt, ideo bene olentes, leues cętęrisque splẽdidiores sunt, quod reliquis magis attenuatæ & rarefactę sint, sol enim orientales regiones magis quam occidentales calefacit vt superius probaui. Sed cur hæ aquę quę è profundissimis fontibus oriuntur cętęris leuiores ac splendidiores & bene olentes sunt? An quod hę aquę à cœli iniuriis minus lędantur propter loci profunditatem è quo oriuntur, nec vapores illi è quibus hę aquę gignuntur nec aquę ipsę crassis & terrestribus vaporibus & fumis qui in aere sunt admiscentur? Cętęrum si è fontanis aquis eæ bonę sunt quę hyeme calent æstate vero frigent cur Galen. decimo de morbis curandis dicit.

Sed qualem ea quæ fontana vocatur quę & frigoris quod ferit & teporis qui resoluit in medio est, docet enim ibi medicos qua nam ratione ægros qui imbecilles sunt & hectica febre laborant frigida perfundere debent. An Gal. eo in loco de frigiditate illa loquitur quam fontanę aquę medio vere habent? nam eo tempore fontanæ aquę ita frigidę sunt vt Gal. ait, hyeme vero calidiores, æstate vero frigidiores quam medio vere sunt.

Quęcumque autem salsæ indomitæ & crudę sunt ad bibendum omnino non sunt bonæ, quędam autem naturę & nonnulli morbi sunt quibus hæ aquę sunt idoneæ de quibus statim dicam, de ipsis vero sic se res habet.

Postquam Hyppoc. de opt. aqua, dixit nunc de aquis salsis, crudis, & indomitis sermonem reassumit, quoniam hæ omnino inutiles non sunt vt palustres & lacustres aquæ, sed quibusdam naturis & nonnullis morbis idoneæ sunt, ideo Hypp. ait velle se de illis dicere quomodo de ipsis res se habeat, verum priusquam de his indomitis aquis agat, nonnulla de bonis aquis repetit & inquit.

Quarumcumque quidem fontes ad ortus solis se habent, hæ quidem optimę ipsę semetipsis sunt, secundę vero ab illis sunt quarum fontes medium locum inter æstiuos solis ortus & occasus spectant, tertium vero locum illę obtinent quarum fontes mediam regionem inter occasus æstiuos & hybernos spectant, peximę vero eę sunt, quarum fontes ex eo loco prorumpunt, qui ad meridiem & mediũ hyemalis ortus & occasus sunt, & hæ quidem quę ad meridiẽ sunt sitę valde male, eę autem quę ad Boream meliores sunt, his vero sic vti decet.

Antequam Hypp. ad dicendum adgrediatur de vsu salsarum & crudarum aquarum perorationem quãdam bonarum & malarum aquarum facit & inquit eas aquas opt. esse quarum fontes solis ortus spectant, cur autem hę aquę opt. sint superius dixi, sed verba Hyppoc. considerare oportet, ait enim *quarumcumque fontes ad ortus solis se habent hæ quidem opt. ipsę semetipsis sunt*, quid nam his verbis Hyppoc. significare voluerit & qua de causa has aquas opt. esse simpliciter non dixit, crediderim ego Hyppoc. his verbis significare voluisse omnes aquas quarum fontes orientem solem spectant opt. esse, si cum aquis quarum fontes ad alias cœli regiones vergunt conferantur, at ex iis quæ è fontibus fluunt qui ad orientem solem sunt siti eas opt. esse aliis quæ è fontibus manant,

qui

qui æstiuum solis ortum spectant, aliis dico qui è fontibus fluunt qui ad hybernum, vernum, vel autumnalem solis ortum vergunt, & ideo dixit illas aquas semetipsis opt. esse, quod omnes orientem solem spectant, ideoque eędem sunt & opt. sed differunt quia ex his vt dixi eæ adhuc magis opt. sunt vt ita loquar quæ æstiuum solis ortum spectant, quamobrem dixit ipsas semetipsis opt. esse. Secundum locum bonitatis eas aquas Hypp. obtinere affirmat quarum fontes medium locum inter æstiuum solis ortum & occasum spectant, præsertim si ad orientem vergant, ea enim ratione qua aquæ illę quarum fontes ęstiuum solis ortum spectāt optimę sunt, hac eadem illę quarum fontes medium locum inter æstiuum solis ortum & occasum spectant, secundum bonitatis locum obtinent. Tertium vero bonitatis gradum tenent eæ quorum fontes medium locum inter æstiuum & hybernum solis occasum spectant, nam satis à sole calefieri & attenuari possunt, quapropter illæ satis lenes, purę & splendidæ sunt, siquidem sol in æstiuo occasu neq; in media regione inter æstiuum occasum & hybernum ita debilis non est sicuti in hyberno occasu, quamobrem aquę illę quarum fontes hybernum occasum spectant crudiores, crassiores, ac frigidiores sunt quam opus est. Peximę autem sunt eæ quarum fontes meridiem & medium locum inter hybernum ortum & occasum spectant, vbi animaduertendum est mendum esse in codicibus gręcis qui ab Aldo & Germanis excussi sunt & in latinis quoque qui eā scripturam sequti sunt, in græcis enim tex. hic ita legitur φαυλοτατα δὲ τὰ πρὸς τὸν νότον καὶ τὰ μεταξὺ θερινῆς ἀνατολῆς καὶ δύσιος, quæ verba si in latinum sermonem transferantur hoc significant, peximę vero sunt quę ad meridiem & medium locum æstiui ortus & occasus, sed hęc sententia stare non potest, nam Hypp. in hoc eodem tex. eas aquas laudat quarum fontes ad medium locum inter æstiuum solis ortum & occasum vergunt quamobrem ea vox θερινῆς χαμερινῆς legi debet & ex his aquis eę quę meridiem spectant valde malę quę vero ad Boream vergunt meliores sunt. Cętęrum rationem inuestigare oportet curaquę quę meridiem spectant peximę, illę vero quę ad Boream vergunt & si bonę non sunt, saltem il-

lis quę meridiem ſpectant minus malę ſint, prę ſertim cum ſu perius dixerim, ideo aquas quę ad orientem ſolem vergunt cęteris aquis meliores eſſe quod à ſole attenuantur & expurgantur, quoniam ſol cum oritur & ad medium cœlum mouetur valentior ſit quam cum ad occaſum tendit, modo nulli dubium eſt ſolem in meridie valētiſſimum eſſe, ideoq; aquæ illę quę eā cœli plagā ſpectant lōge magis attenuari & expur gari à ſole poſſe videntur quā eę quę ad borealē cœli regionem vergunt quod à ſole magis remotę ſint, ideoque longe peiores quam eę quę meridiem ſpectant eſſe debere. An hoc fit propter humidum temperamentum & craſſitiem aeris qui in meridionali plaga eſt à qua aquę illę quę meridiē ſpectant craſſiores turbidiores & grauiores fiunt quam opus eſt, & licet calor ſolis valētior ſit in illis partibus quā in borealibus regionibus, attamen humiditas illius cœli lōge magis incraſſare ac turbare aquas illas poteſt quā ſolis calor eas attenuare & expurgare valeat, vapores etiā qui è cauernis terrę attol luntur è quibus fontes fiunt eius partis cœli quam ſpectant naturam ſapiunt & ideo ipſi quoque craſſiores ac turbidiores ſunt, quapropter ex ipſis aquę illis ſimiles gignuntur, qua ratione ductus Hypp. 5. aphoriſ. tertiæ ſectionis dixit Auſtri auditum hebetantes, caliginoſi, caput grauantes, pigri, diſſoluentes &c. at aquę illę quæ ad Boream vergunt quoniam aer qui in ea regione eſt ſiccus puruſque eſt quod à ventis agitatur, ideo aquę illę quę eam cœli plagam ſpectant ab aere non inficiuntur, vapores etiam qui è cauernis terræ eius regionis attolluntur ſubtiles & puri ſunt, quamobrem aquę illæ quæ ex ipſis gignuntur ſubtiliores & puriores quam meridionales ſunt & ab aere ſeptentrionali frigido & ſicco expur gantur & attenuantur, licet propter illius cœli frigiditatem crudiores ſint quam opt. aquę ſunt, hiſque omnibus aquis de quibus Hypp. hucuſque dixit hoc pacto vti debemus quem ipſe inferius dicet.

Qui ſanus eſt & bene valet nullum diſcrimen facere, ſed ſemper eam quæ adeſt bibere, quicumque vero morbi cauſa vtiliſſimam bibere vult, is ita faciens maxime ſanitatem aſſequetur.

Cum Hyppoc. de aquarum vſu vt medicus eſt dicere velit

medici

medici autem non solum aquarum vsum sed cętera omnia vt humano corpori idonea vel inutilia sunt considerāt, ideo ab humanorum corporum diuersitate diuersos vsus aquarum modos nobis tradere aggreditur & inquit, cum qui sanus est ac bene valēs quamcūque bibere debere dicit dummodo ea palustris, lacustris, medicamentosa, nec graue olens sit, quod etiam Cornelij Celsi placitum fuit non solum de aquæ vsu sed etiam de cętęris omnibus quæ sanitati tuendæ idonea sūt cum inquit, sanus homo qui & bene valet & suæ spōtis est nullis obligare se legibus debet, cuius sententiæ duæ rationes sunt è quibus vnam idemmet Cornelius in fine prædicti capitis adducit cum ait, Hæc firmis seruanda sunt cauendumque ne in secunda valetudine aduersę prędidia consumātur, quod fieret si homo sanus & bene valens vsum alicuius aquæ fugeret qua populus vtatur, alia ratio sumitur à Galen. in commentario 51. aphoris. secundæ sectionis cum ipse exponit vltima verba illius aphor. videlicet oportet igitur ad insueta permutari, quod ipse fieri debere affirmat quod omnes homines repentinis & inopinatis rerum sortibus subiiciuntur, ne igitur si quando repente in aliquod nobis insuetum incidamus magnopere offendamur, satius est non semper vniformen victus rationem seruare, sed non nunquam ad ea quæ contraria sunt illis quibus assueuimus transeundum est, si igitur vni & eidem aquæ semper assuescemus, necessitas vero interdum nos cogat aliam aquam bibere quæ non ita bona sit vt illa est cui assueuimus, ab huiusmodi aquę potu facile lederemur, vt igitur hoc periculum declinemus Hypp. iubet sanum hominem qui & bene valet quamcumque aquam quæ neque palustris nec medicamentosa vel graue olens sit bibere, quicumque vero morbo aliquo vexatur, aquam quæ illi morbo contraria sit bibere debet, quod si fecerit facillime sanitatem consequetur, deinde exemplis sententiam suam declarat & inquit.

Quicumque ventres duros habent & ad hoc vt comburantur apti sunt, his dulciſſimæ, leuiſſimę, & ſplendidiſſimę aquę conferunt, quorum autem alui molles, humidę, ac pituitoſę ſunt his duriſſimę crudiſſimę atque ſub ſalſę idoneę ſunt ita enim maxime exiccabuntur.

Eos qui aliquo morbo laborant aquas quæ morbo illi cõtrariæ ſunt bibere debere, exemplo eorum qui aluos duras habent Hypp. declarat, alui autem durę dicuntur eę quæ parum & difficulter reddunt, cuius mali cauſa eſt quod hi homines eas nimis calidas & ſiccas habent, quamobrem ea quæ in aluum deſcendunt diutius in ea retinentur quam opus eſt comburunturque ac nimis ſicca fiunt, quapropter difficulter reddun ur paucaque quod cõburantur, iis dulciſſimas ſplendidiſſimas ac leuiſſimas aquas bibere expedit, quam ſententiam paulò inferius firmis rationibus Hypp. firmabit, deinde exemplo eorum qui aluos molles, humidas, ac pituitoſas habent hanc eandem ſententiam confirmat & inquit, illos qui aluos habent humidas molles ac pituitoſas duriſſimas, crudiſſimas & ſubſalſas aquas bibere debere, nã cum horum hominũ alui humidæ nimis ſint à prædictis aquis maxime exiccabuntur, at quæ nam ſint aquę duriſſimę & crudiſsimę paulo ſupra dixi, quomodo autem hę alui à prędictis aquis maxime exiccentur ipſe paulò inferius dicet, inquit igitur.

Quęcumque enim ad hoc vt concoquantur idoneę & opportunę ſunt, hæc & ventrem ſoluere ac maxime liquefacere veriſimile eſt, quęcumque vero durę crudæ & incoctibiles ſunt, hę maxime ventrem ſupprimunt & ſiccant.

Nunc Hypp. probare aggreditur cur ij qui ventres duros habent aquas puras limpidas ac leues, hi vero qui ventres humidos ac pituitoſos habẽt crudas duras & incoctibiles aquas bibere debeant, hoc autem ideo fieri debere Hypp. affirmat, quod aquæ illę quæ purę ideoque ſplendidiſſimæ ac leuiſſimæ & dulciſſimę ſunt cito præcordia tranſeunt aluumque humectant & infrigidant, quamobrem aluus excrementa facilius reddit quod in ea non multum morentur & exiccentur, quapropter illis qui ventres duros & calidos habent idoneæ ſunt, at his qui ventrem mollem pituitoſum & humidũ habẽt aquæ crudiſſimę duriſſimæ atque ſubſalſę concoctu quæ difficiles idoneæ ſunt, quoniam hę ventrem maxime ſiſtũt quod frigidę duræque ſunt, quapropter magnam moram in ventriculo trahunt illumque infrigidant & conſtringunt & ita ventrem ſiſtunt, vbi animaduertendum eſt in græcis codicibus qui ab Aldo & à Germanis quoque excuſi ſunt hunc tex. ita

legi

legi ὁκόσα δὲ ἔϛιν ἀτέραμνα καὶ σκληρὰ καὶ ἤκιϛα ἔψαν ἀγαθά, quæ verba si in latinum sermonem transferantur ita sonant. Quęcumque vero crudę duræ & minime coctu bonæ &c. at in quibusdam huius libri correctionibus quæ ad me Patauio missæ sunt illa verba καὶ ἤκιϛα ἔψαν ἀγαθὰ ita leguntur ἔψανα, quod verbum incoctiles significat, quam scripturam ego magis probo, præterea in impressis codicibus. ταυτα ερωτησει μαλλον τὰς κοιλίας quę verba si quis verbum verbo reddere voluerit significant hæ magis aluum sistunt, at in illis eisdem correctionibus illa vox μάλλον μάλιϛα legitur quæ maxime significat & & hanc scripturam magis approbo, subsalsæ vero quia resiccant & constringunt vt salitæ carnes indicāt quę se ipsis cum salitæ non erant duriores & sicciores sunt, ideo ventrem sistūt & dicit subsalsas & non salsas, quoniam aquæ illæ quæ salsæ sunt vt marina aqua potui idoneæ non sunt, subsalsæ vero bibi possunt, nec quisquā Hypp. reprehendat quod ipse exēplis sententiam suā comprobauerit, quia exēplis aliquid probare oratorū propriū est non aūt demonstrantiū vt Hypp. est, nam ipse exemplis sententiam suam declarare non autem probare voluit, quod etiā ij qui demonstrāt faciunt, sententiā vero suā pronunciato illo medicorū probat videlicet cōtraria cōtrariis curantur, cum igitur ij qui ventres duros habent mollientibus egeant, qui vero humidos siccātibus, ideo illi aquas ventrem mollientes hi vero ventrem siccantes bibere debent quod etiam obseruari debet ab omnibus illis qui non bene valent vel aliquo morbo laborent videlicet vt aquas suę malę valetudini vel morbo illi quo vexantur contrarias bibant.

Sed enim falluntur homines circa salsas aquas propter imperitiam sanè, & quoniam illis alui deiectionem moliri opinantur, hę vero alui egestioni maxime aduersantur, crudę enim & incoctibiles sunt, quare aluus ab ipsis potius stringitur quam molliatur et de fontanis quidem aquis hoc pacto se res habet.

Quoniam nos sępius medicamentosis aquis quę salsę sunt alui deiectionem petimus, ideo non nulli has aquas suapte natura aluum soluere opinantur, Hypp. illos qui ita existimant reprehendit & inquit has aquas quod crudæ & incoctibiles sunt ideo alui ægestioni maxime aduersari, nam vt superius probaui crudæ aquæ & incoctibiles aluum stringunt, non au-

tem molliunt, has vero aquas incoctibiles esse earum natura ostendit, quoniã medicamentosæ sunt, & inquit homines circa has aquas propter imperitiam falli quia experientia non nouerunt has aquas aluum stringere, preterea falsò etiam opinantur has aquas aluum mollire quod falsum esse superius ostẽdi, si vero alui deiectionem his aquis interdum petimus, hoc non fit quod suapte natura hę aquę aluum soluant sed quantitate, nam magnam harum aquarum quantitatem potui damus, tum etiam quia expultricem facultatem concitãt quæ ita concitata excrementa expellit, id quod piper etiam vel aliquod aliud cõdimentum vel acre medicamentum prę staret. Sed verba Hypp. considerare opus est, primo enim dicit salsas aquas alui egestioni maxime aduersari, paulò vero post eas potius ventrem stringere quam mollire affirmat qua si alui deiectioni non maxime aduersentur sed potius ipsum stringant quam molliant nec magnopere ipsum stringant sed leuiter & ita parum alui deiectioni aduersentur non autem maxime vt ipse prius dixerat. An cum Hyppoc. dicit salsas aquas alui egestioni maxime aduersari sententiam suam de aquis salsis circa alui deiectionem profert? cum autem deinde ipse dicit has aquas ventrem potius stringere quam soluere, loquitur illis qui aquas salsas ventrem soluere opinabantur, & ait tantum abest vt hę aquæ ventrem soluant vt vos dicitis vt potius ipsę ventrem stringant quam soluant, & de fontanis aquis hæc sufficiant.

CAPVT QVARTVM.

DE pluuialibus vero & quęcumque à niue fiunt quomodo se habeant dicam. Aquę quidem igitur pluuiales leuissimę, dulcissimę, tenuissimę ac splendidissimę sunt, primum enim sol quod tenuissimum ac leuissimum aquę est sursum tollit & abripit.

Cum Hyppoc. de fontanis aquis dixerit hunc ad pluuiales aquas & ad eas quæ ex niue & glacie fiunt transit, & primum de pluuialibus dicit, Hypp. igitur pluuiales aquas leuissimas, dulcissimas, tenuissimas atque splendidissimas esse affirmat, quid autem vnaquæque harũ vocum significet superius declaraui,

claraui,ideo autē pluuiales aquas,tales esse Hypp.dicit,quod sol vi sua tenuissimas aquarum partes quæ vapores sunt in sublime tollit & cum eas vsque ad mediam aeris regionem attraxit hi vapores pluuia fiunt, cum igitur pluuiales aquæ ex tenuissimis ac leuissimis aquarum partibus quæ in terra & circa terram sunt, fiant,ideo tenuissimę leuissimę ac splendidissimę aliarum aquarum sunt, quam sententiam & si Hypp. de omnibus pluuialibus aquis ferat,ea tamē maxime vera est de illis pluuialibus aquis quæ ex Aethere sunt & è nube non continua nec procellosæ sunt vt paulò supra dixi & inferius manifeste apparebit, vt igitur illa quæ de his aquis ab Hypp. dicuntur melius intelligantur, primum quid nam pluuia, & nix sint & quomodo gignuntur scire oportet. Ab aqua igitur quæ circa terram vt oceanus & in terra est vt flumina lacusque sunt, sol dum per obliquum circulum mouetur multos vapores attollit qui cum ad mediam aeris regionem perueniunt quæ frigida est, quod radij solis cum à terra repelluntur eo non perueniāt,hi vapores in nubem deinde in aquā coguntur propter loci illius frigiditatem, & quod solis caliditas quæ vapores illos eleuauit nonnullos ex ipsis derelinquat & in superiorem regionem euaporet,partim vero à frigiditate loci extinguatur, & ita in aquam coacti in terram descendunt & fiunt pluuia quæ vt dixi in loco predicto gignitur. Nix autem ex his iisdem vaporibus ex quibus pluuia & in eodem loco in quo pluuia gignitur,sed à maiori frigiditate quam ea est quæ pluuiam facit, quamobrem ante quam nubes in aquam transeat congelatur & nix fit,quapropter in frigidis regionibus & hyeme plures & frequētiores niues fiunt quam in calidioribus locis & cęteris anni tēporibus,vt Arist. primo metheor. opt.docet.

Manifestum autem hoc mare facit, quod quidem enim ipsius salsum est pręcrassitie & grauedine relinquitur & fit sal,tenuissimum vero, sol propter leuitatem sursum tollit, tale autem non solum à stagnantibus aquis abripit, verum etiam & à mari & ex omnibus in quibus aliquod humidum inest, inest autem in omnibus rebus & ex ipsis hominibus tenuissimum ac leuissimum humoris educit.

Solem ex aquis tenuissimas partes educere maris & hominum

R. ISTITUTO VENETO VENEZIA

num inductione Hypp. probat, quod mare ideo salsum esse affirmat quod crassior & grauior ipsius pars præ eius grauedine crassitie quę à sole in sublime nõ attollatur sed relinquatur & fiat sal, nam sal terrenæ grauisque substantiæ est vt Gal. 4. de simplicium medicamentorum facultatibus opt. demonstrauit, at tenuissimę eius aquæ partes à calore solis sursum abripiuntur quod calidum omne suapte natura ea corpora quæ diuersorum generum sunt ab inuicem seperet, vt ea quæ eiusdem generis sunt simul congreget vt experiẽtia ipsa nos docet, videmus enim cum vi caloris res corrumpũtur ea quę diuersi generis sunt ab inuicem seperari, quæ vero sunt eiusdem generis congregari, vt in lignis quæ vruntur præsertim viridibus fieri videmus, nam tenuiores humoris earum partes in fumum conuertuntur, crassiores vero ebulliunt & in cinerem delabuntur, cum ergo aquæ omnes ex diuersis partibus sint compositę, nam quædam ex ipsis tenues quædam vero crassę sunt, tenues à crasioribus calore solis separantur subtilianturquę & vapores fiunt qui cum leues sint sursum adscendunt & in pluuiam conuertuntur eo modo quem paulò supra dixi, quod non solum in stagnantibus & marittimis aquis quæ locum non mutant ideoque facilius calorem solis in se recipiunt, efficit, verum etiam in omnibus illis rebus in quibus aliquid humoris est qui omnibus rebus ineſt, & ex ipsis hominibus quoque quod tenuissimum & leuissimum humoris in ipsis est, educit.

Huius rei certum signum est, cum homo pallio coopertus sub sole vadat vel sedeat, quascumque quidem corporis partes sol respicit hę vtique non sudant, sol enim quicquid sudoris prę apparet abripit, quęcumque vero à veste vel ab aliqua alia re cooperte sunt, sudant, educitur enim ac vim patitur à sole sudor, seruatur autem à tegmine, adeo vt à sole non tollatur, quando autem ad vmbram peruenerit sudor à toto corpore similiter efflui, non enim amplius sol illustrat.

Eam sententiæ suę partem quę obscurior videbatur, solem scilicet ab hominibus quicquid humoris quod in ipsis tenuissimum est educere certo ac vero signo Hypp. probat videlicet, si homines nudi sub sole vadunt vel sedent non sudant, si vero vestibus contecti sub sole iterfaciunt vel sedent, sudant,

itidem

itidem si postquam sub sole ambulauerint ad vmbram peruenerint tunc eorum corpora sudore madent, quæ vt melius intelligantur quid nam sudor sit, scire opus est, sudor igitur serosum excrementum est quo natura ad cibum ad mẽbra deferendum vtitur, quod postquam munere suo functum est veluti excrementum per molliora membra actum quę eius violento fluxui cedunt, expellitur, præsertim si à vehementi spiritu maiore impetu irruẽte vt plerumque euenit impellitur, vt in cursu fit & cum corpus ab igne vel ab aliqua alia causa vehementius incalescit vt Gal. 1. de tuenda sanitate & in libro de palpitatione, tremore & conuulsione opt. docet, cum igitur homo sub sole nudus iter facit vel sedet serosus ille humor à vehementi calore solis per mollia membra impulsus à vi eius caloris cõsumitur & in halitum soluitur, quamobrem homo non sudat, cum vero homo vestibus contectus sub sole ambulat vel sedet, sudat, quoniam & si serosus humor à sole nimis calefiat, vis solis à vestimentis impeditur ne serosum illum humorem qui per mollia membra actus à calore expellitur in halitum resoluat, si quis vero nudus sub sole ambulet deinde ad vmbram peruenerit & in ea aliquantisper moretur, sudat, quoniam serosus ille humor per membra actus ab vmbrę frigiditate conseruatur ne in halitum resoluatur, sed humor remaneat sudorque fiat, quamobrem Arist. 6. probl. primi secti, dicebat, eos qui se lucta exercent si aliquantisper à lucta quiescant magis sudare quam si continue luctentur, & hac ratione Hyppoc. optime probauit solem ab hominibus, id quod humoris in ipsis tenuissimũ ac leuissimũ est educere.

Propter hęc autem & ex omnibus aquis hę citissime putrescunt, & imber malũ odorẽ habet, quod ex plurimis aquis coaceruatus & cõmixtus est, adeo vt citissime putrescat, prꝫterea autem ad hęc postquam abreptus & in sublime elatus est & circumfertur aerique commiscetur, quod quidem ipsius turbidum & obscurum est excernitur ac digeritur aerque & nebula fit, quod autem ipsius tenuissimum leuissimumque est à sole accenditur & concoquitur relinquiturque ac dulcescit, fiunt autem & alia omnia quę coquuntur subinde dulcia.

Dixerat paulò supra Hypp. aquam pluuialem leuissimam, dulcissimam, tenuissimam, ac splendidissimam esse, ne quis

igitur

igitur eam omni mendo carere arbitraretur, ideo nunc mala illa quæ pluuialis aqua habet enumerat, & quanam ratione illa corrigere valeamus docet, quamobrem animaduertendũ est eam pluuialem aquã quæ ex æthere est & à nube non continua nec procelloſa eſt leuiſſimam eſſe & omni malo carere, de qua paulò ſupra dixi, alias vero pluuiales aquas omnes aliquod mendum habere, è quibus primum illud eſſe Hypp. dicit, eas citiſſime putreſcere, ſcire igitur oportet duas eſſe cauſas cur aquæ pluuiales citiſsime putreſcant, è quibus prima eſt ſubſtantiæ earum tenuitas quę etiam cauſa eſt vt illæ aquę leuiſſimę ſint citoque calefiant & frigefiant & demum vt cito alterentur vt paulò ſupra dixi, quamobrem ipſę citiſſime putreſcunt, & hęc illarum promptitudo ad hoc vt facillime hæ aquę putreſcant laudanda eſt & aquæ bonitatem indicat vt bene Auicen. in cap. de diſpoſitionibus aquarum dixit, altera vero cauſa eſt cur pluuialis aqua citiſſime putreſcat & male oleat, videlicet eam ex plurimis ac diuerſis vaporibus & fumis qui è terra & è diuerſis aquis à ſole attollũtur coaceruatam & commixtam eſſe, ideoque facillime putreſcere, nam putredo mixtorum corporũ affectus eſt, & hoc pluuiali aquæ vitio datur, quapropter Hypp. in hoc tex. dixit propter hæc aũt ea aqua putreſcit, videlicet quia leuiſſima & tenuiſſima eſt vt ſuperius ipſe dixit & propter ea quæ inferius in hoc tex. ab eo dicuntur videlicet aquã pluuialẽ ex variis & diuerſis corporibus inuicẽ coaceruatis & cõmixtis cõponi, adeo vt citiſſime putreſcat, ideoq; illa vox propter hæc referẽda eſt tam ad ea quæ ſuperius dicta sũt quã ad ea quę inferius in hoc tex. ab Hypp. dicũtur. Aliam cauſam deinde Hypp. adfert quare pluuiales aquæ tenues ſint, videlicet quia concoctæ & dulces sũt quod hac ratione probat, è vaporibus ac fumis qui è terra à ſole attolluntur quicquid craſſum & obſcurum eſt excernitur ac ſegregatur à tenuioribus & clarioribus eorum corporum partibus & aer ac nebula fit, quod autem ipſorum tenue ac limpidum eſt ſurſum remanet à ſoleque accenditur & concoquitur dulceque fit, quoniam omnia quę concoquntur dulceſcunt, vbi animaduertendum eſt Hypp. dicere quicquid è vaporibus ac fumis qui à ſole è terra attolluntur craſſum & obſcu-

obscurum est excerni & terram versus vt graue ferri & aerem fieri videlicet aerem crassum turbidum & obscurum, nam antiqui aerem purum ac serenum æthera, caliginosum vero & opacum, aerem vocare consueuerunt vt Gal. 19. tex. 4. commentarij in librum Hypp. de morbis vulgaribus Homeri testimonium adducens affirmauit, hancque prædictorum corporum crassiorem partem non solum aerem turbidum obscurũ & crassum, verum etiã nebulam fieri Hypp. dicit, est enim nebula vt Arist. primo metheorologicorum docet nubes sterilis, quoniam decidit à nube illa quæ in pluuiam concrescit ideoque eam serenitatis indicium esse ibidem dicit, leuissimã autem ac tenuissimam partem vaporum & exhalationum à sole in superiore parte relinqui nec decidere sed ab ipso accendi ac concoqui ideoque dulcescere, quod ipse inductione probat nam cætera omnia quę concoquntur dulciora ideſt suauiora ac sapidiora fiunt, nam hoc verbum dulcescere vel dulce fieri hoc significare intelligere debemus vt superius dixi cum causam cur aqua bona dulcis diceretur reddidimus. Cum igitur aquæ pluuiales ex tenuioribus & clarioribus partibus eorum corporum quæ è terra a sole attolluntur quæ cęteris magis coctę sunt gignantur, ideo tenuissimę leuissimę ac iucundissimę omnium sunt & facile his de causis putrescunt.

Quousque quidem igitur dispersum fuerit & non dum coactum sublime fertur, quando autem collectum & à ventis qui sibi ipsis de repente aduersantur in vnum coaceruatum fuerit ea parte qua plurimum coaceruatum fuerit, decidit.

Cum Hypp. superius dixerit pluuialem aquam leuissimam esse ac quam citissime putrescere malumque odorem habere, nunc ad ostendendum quomodo pluuia fiat transit, vt clarius appareat cur hæc aqua cito putrescat malumque odorẽ habeat, inquit igitur pluuiam hoc pacto fieri, quando vapores & fumi qui à sole è terra attolluntur dispersi manent, nec in vnum coguntur tunc semper in sublime feruntur, quando autem eò peruenerint vt in vnum cogãtur à ventis qui de repente sibi ipsis aduersantur tunc grauiores facti ad terram feruntur, ab ea parte præsertim in qua plurimũ coaceruati fuerint ideſt maxima pars eorum in vnum coacta & maxime coa

ceruat

ceruat fuerit, cogitur autem à ventis propter eorum naturalem frigiditatem & propter impetum quo ſibi ipſis ex aduerſo occurrunt. Ariſt. autem primo metheor. vt ſuperius enarraui pluuiam fieri dicit quod ſol & alia cœleſtia corpora, ſua caliditate vapores & exhalationes è terra attollunt quæ corpora cum à terra longe remota ſunt à calore cœleſtium corporum qui ſurſum euolat derelinquntur, ille autē qui in vaporibus illis remanet à frigiditate loci extinguitur & ita fit nubes & pluuia, quamobrem manifeſte patet iuxta Ariſt. ſententiam ventos ad pluuię generationem non eſſe neceſſarios, Hypp. vero tunc pluuiam fieri dicit cum venti ſibi ipſis de repente aduerſantur & vapores in vnum cogunt. An Ariſt. qua nam ratione pluuia abſolute fiat docere voluit? ad cuius generationem non opus eſt ventis quamuis venti vt ſua frigiditate vapores magis in vnum cogant ad hoc vt pluuia gignatur interdum requirantur, Hypp. vero non quomodo pluuia ſimpliciter fiat docere voluit ſed quam ipſe 19. tex. 6. libri de morbis vulgaribus procelloſam appellauit eamq; malam eſſe dixit, hæc autem ſemper ventis & illis quidem vehementibus fit quod ex tex. qui hunc proxime ſequitur manifeſte apparet, nam huiuſmodi aqua maxime correctione eget ad hoc vt bona fiat quemadmodum cum tex. illum exponam certo videbitur.

Tunc enim hoc magis fieri probabile eſt, cum à vento qui ſtabilitatem non habet nubes concitatæ ſunt, & progredientes ſtatim cōtrarius ventus & aliæ nubes repercuſſerint, hic quidem prima eius pars cogitur, quæ vero poſterius ſunt inferuntur & ita craſſeſcunt atque nigreſcunt & in vnum coaceruantur & præ grauitate decidunt & imbres fiunt, & has quidem aquas optimas eſſe veriſimile eſt, cæterum eas decoquere & defecare opus eſt, ſin minus malum odorem habent & raucedines graueſque voces proſtare.

Cum Hypp. ſuperius dixerit tunc pluuiam fieri cum vapores qui è terra à ſole attolluntur à contrariis ventis in vnum coacti fuerint, nunc quomodo id fiat docere & id quod dixerat illuſtrare adgreditur & inquit, tunc probabile eſſe hanc procelloſam aquam maxime fieri cum à vento qui ſtabilitatem non habet ſed ſemper mouetur nubes impelluntur, quæ dum progrediuntur aliis nubibus quæ à ventis impelluntur

qui

qui ventis contrariis sunt qui priores impellebāt, occurrunt, Tuncque primæ nubium partes commiscentur atque coacer uantur, posteriores vero earumdem partes prioribus inferun tur omnesque crassescunt ac nigrescunt & præ grauitate deci dunt imbresque & procellosæ pluuiæ fiunt, nec solum crasse scere has nubes Hypp. adfirmat sed etiā nigrescere vel nigras fieri vt earum crassitiem ac densitatem magis significet, nam nubium nigredo ab earum magna crasitie & condensatione fit, sicuti albedo ab earum tenuitate, nam si nubes subtilis tenuis ac rara fuerit, solis radios intra se recipit & splendida ac alba fit, si vero nimis crassa & densa fuerit solis radij eam penetrare non valent & ita illa nigra & obscura fit vt Galen. in commentario 8. tex. primi de morbis vulgaribus adfirmat; & has aquas opt. esse credendum est Hypp. dicit si decoquantur & coctione defecentur, nisi autem coquantur purgenturque malum odorem habēt & raucedines graueque & asperas voces faciunt, ideo autem male olent quia ex pluribus vaporibus fiunt qui à corporibus quæ contrariam naturam & contrarias qualitates habent attolluntur & ideo facile corrumpuntur maleque olent, raucedines vero graueque & asperas voces faciunt eadem de causa qua superius dixi malas & palustres aquas hos eosdem affectus gignere. Cęterum de hac sentētia aliquis dubitaret videlicet aquam coctione meliorē fieri sicuti nonnulli medici dubitarunt vt in capite illo quod de dispositionibus aquarum inscribitur Auicen. refert, nam si aqua decoquatur tenuiores partes ipsius in halitum digerun tur, quamobrem tantum abest vt aqua cum decoquitur subti lior ac leuior fiat ideoque melior vt etiam crassior grauiorq; reddatur, quod eius tenuiores partes vt dixi in halitum coctione resolutæ sint, præsertim cum idem Hypp. paulò inferius aquas quę ex niue & glacie fiūt eo nomine damnet quod quicquid in ipsis tenue leue ac splendidum est vi frigoris ab ipsis expressum sit, graue autem turbidum & crassum in illis remanserit, idem aquis quæ coctæ sunt vsu venire aliquis dicet, videlicet ab ipsis vi caloris quicquid leue ac tenue erat in halitū resolutum esse, sicuti niui & glaciei vi frigoris vsu venit & aquis quæ ex illis fiunt, nam quicquid in ipsis leue ac tenue

tenue erat vi caloris in halitum resolutum est, crassum vero & terrenum in illis remansit. An ratio in aqua quæ ex niue & glacie fit diuersa est ab ea quæ in aqua cocta est? nam aqua cum cocta est tenuior splẽdidiorque fit quam esset antequam coqueretur, nam calidũ suapte natura subtiliare & attenuare corpora aptum natum est & corpuscula illa quæ ipsi antequã coqueretur admixta erant vi caloris ab ea separantur & in vasis fundum descendunt, quoniam calidi proprium est corpora quæ diuersorum generum sunt separare, & quia aqua cum cocta est tenuior est vt dixi quã esset antequam coqueretur, ideo corpuscula illa aquam scindere possunt & fundum vasis petere quod prius facere non poterant, quia cum minima essent aquæ crassitiem scindere non poterant & in fundum descendere sed ipsi aquæ admiscebantur. At vero quia aqua corpus ferè simplex est, ideo partes ipsius quæ resoluuntur similes sunt illis quę remanent, nec est inter ipsas quo ad tenuitatem & crassitiem magna differentia, præsertim cum illæ quæ resoluuntur paucę sint & quæ remanent subtiliores à coctura sint factæ, nam frigiditas quæ aquam crassiorem facit ab ea remota est, at in aqua quæ ex glacie & niue fit secus se res habet vt in expositione tex. qui hunc proxime subsequitur manifeste videbimus.

Quę vero è niue vel glacie fiunt malæ sunt omnes, quando enim semel congelatę fuerint non amplius in pristinam naturam reducuntur, sed quod quidem ipsarum splendidum leue ac dulce est excernitur & corrumpitur, quod autem turbidissimum & grauissimum est, relinquitur, id autem sic cognoueris, si enim vis quando hyems est vasculum in quo certa mensura aquam infuseris subdio ponere vt maxime congeletur, deinde postridie in teporem inferre vbi congelata maxime soluatur, cum vero soluta fuerit aquam rursus metiri, illam pauciorem multò inuenies, hoc certa nota est quicquid leuissimum ac tenuissimum est à congelatione exiccari atq; corrumpi non grauissimum & crassissimum, non enim potest, ita igitur has aquas quę ex niue & chrystallo fiunt & quę has consequuntur ad omnia peximas esse. De pluuialibus quidem igitur aquis & de his quę ex niue & cristallis fiunt sic se res habet.

Vt ea quæ in hoc tex. ab Hypp. dicuntur melius intelligere possimus, videndum est quid nã sint nix & glacies, est igitur nix nubes congelata à nimia frigiditate ante quã nubes in aquam

conuersa

conuersa sit vt Arist. primo metheor. doctissime ostendit, glacies vero congelatio est frigidi & humidi à superabundanti frigiditate vt idem Arist. 2. de ortu & obitu docet. Inquit igitur Hypp. aquas quæ ex niue & glacie fiunt omnes malas esse quod hac ratione probat, aquæ illæ quæ ex glacie fiunt cum glacies liquefit nunquam in pristinam naturam restituuntur, quoniam à vehemẽtia frigoris tenuiores partes aquæ ab ipsis expressæ sunt, crassiores vero & terrenę remãserunt & eę quidem frigidæ ideo durę & crudę sũt nec cito calefieri possunt, quod autem ita se res habeat Hypp. experimẽto probat, dicit enim si quis aquam aliqua certa mensura metiatur & eam tanto tẽpore in vasea liquo sub dio stare permiserit vt congeletur, deinde illã in aliquem calidum locum reponat donec ea liquescat, nũquam eã cum liquefacta fuerit eiusdem quãtitates inueniet esse cuius erat antequã congelaretur, quod ideo accidit quia tenuiores ac leuiores illius aquæ partes vi frigoris ab ipsa expressæ sunt, nam crassiores & terrenę ipsius partes præ sua crassitie à frigore exprimi non possunt, cum frigus suapte natura condenset & in vnum corpora alienę naturæ cogat, eæ vero quę ex niue fiunt licet nix nubes congelata sit antequam in aquam mutetur, eadem causa crudæ & crassę sunt, quoniamà vehementia frigoris tenuiores partes nubis ab ea expressæ sunt, crassiores vero remãserunt, quamobrem aquę illæ quæ ex niue & glacie fiunt peximę sunt nec potui idoneæ, quoniam terrenę crassę & crudæ sunt, quod aquę coctę non euenit, ea namque à calore subtiliata & extenuata est, eæ vero quæ ex niue & glacie fiunt à frigore constipatę & cõdensatæ sunt, id enim proprium frigoris est vt superius dixi, & inquit Hypp. aquas omnes quæ ex niue & glacie fiunt malas esse & eas quæ has cõsequntur idest quæ illis similes sunt vt palustres aquę & fontanæ quædam quæ crudæ & terrenæ sunt vt superius demonstraui, dicitque aquas quæ ex niue & christallo fiunt non autem ex glacie quamobrem vulgarem illam opinionem hoc in loco probare videtur quæ christallũ glaciem esse affirmat, quod verum non est vt illi qui in alpibus quæ Italiam à Germania dirimunt christallum fodiunt affirmant, nam illud metallum quoddam esse & suas venas

habere vt cętera metalla habent autumant,& ita de pluuialibus aquis & de iis quæ ex niue & glacie fiunt res se habet.

CAPVT QVINTVM.

CALCVLO autem maxime homines laborant & à renum morbis & vrinæ stillicidio coxarumque doloribus capiuntur, & hernię fiunt cum omnigenas aquas bibunt & è magnis fluminibus in quæ alia flumina ingrediuntur & è palude in quam fluxus multi & varij perueniunt, & quicumque aquis translatitiis vtuntur quæ per longum non autem breue spacium ducuntur, non enim fieri potest vt alia aqua alię assimiletur, sed hæ quidem dulces sunt hæ vero salsę & aluminosę, alię autem à calidis fluunt, cum autem hę insimul commiscentur interse sè dissident & semper valentissima vincit, superat autem non semper eadem sed aliàs alia.

Postquam Hypp. de pluuialibus aquis dixit, easque decoctione egere nos docuit eo quod ex variis & diuersis corporibus compositæ sint, ideoq; facile putrescunt & nisi coquantur male olent, nunc ad enumerandum morbos illos adgreditur quos huiusmodi aquæ illis qui eas bibunt faciũt & quanam ratione illos faciant ostendit,& inquit eos qui has aquas bibunt calculo & renum morbis coxarumque doloribus & vrinę stillicidio vexari, herniasque ipsis fieri, quoniam huiusmodi aquæ à calore naturali difficulter vinci possunt, quamobrem multæ cruditates gignuntur à quibus hi morbi fiunt vt superius Hypp. probauit, at cur huiusmodi aquæ quæ ex pluribus aquis & corporibus fiunt difficulter à calido innato vinci possint inferius in vltima huius tex. parte Hypp. dicet, & ex his aquis quas ipsę omnigenas appellat dicit esse aquas magnorum fluminum in quæ alia flumina ingrediuntur,& paludum ad quas multi fluxus & varij perueniunt idest in quas plures aquæ quæ ex diuersis locis fluunt, ingrediuntur, sed huic sententiæ Hypp. contraria videtur aqua Nili quæ potui idonea & saluberrima ab omnibus existimatur, quamobrem cũ Augustus in Aegypto esset & milites de vini caritate apud ipsum quærerentur ipsis respondit Nilum habetis & vinum quæritis? Aetius quoque Nili aquam omnibus virtutibus exornatam esse affirmat citoque præcordia pertransire, concoctioni ac digestioni vtilem potuique idoneam esse & corpora

pora bene colorata facere & tamen Nilus magnus fluuius est & in eum multæ aliæ aquæ & alia magna flumina ingrediuntur. An ideo Nili aqua bona est quod Nilus ex altissimis mõtibus fontem habet & ex alto descendit, ac per terras puras & calidissimas regiones transit & longo terrarum spacio currit? quamobrem & à sole & à longo cursu tenuis & clara redditur, nec per magnas vrbes & magna oppida transit, qua de causa excrementa non recipit quæ ipsum inficere valeant, nec satis in hoc loco mirari possum quosdam doctissimos sanè & accuratos viros qui scriptis suis aquam Tyberis supra omnes alias aquas vt saluberrimam laudant his rationibus adducti, primo quia ea difficulter putrefit, secundo quod clara est, tertio quod in Tyberim metallicę aquæ nonnullę ingrediuntur quæ ipsius aquam tenuiorem ac subtiliorem faciunt, quarto aquam Tyberis opt. esse affirmant quod fons ipsius magnus est & ex alto sasso descendit, quinto quia in Tyberim multa alia flumina ingrediuntur quæ minora Tyberi sunt, quamobrem ipse eorum veluti caput est & ea in suam naturam facile mutare potest, & potest sententia hæc confirmari authoritate Pauli Tertij Pontificis Maximi viri sapiẽtissimi qui quocumque iret eò aquam Tyberis vehi iubebat, quod nullam aliam aquam bibere nisi Tyberinam volebat. Hæc sententia stare non potest, nam aquæ illæ ab Hypp. præ cęteris laudantur quæ arte carent & iure quidem, nam eę quæ arte quapiam bonę fiunt nunquam ita bonę sunt vt eę quæ suapte natura sunt bonę, at aqua Tyberis ad hoc vt potui idonea sit arte eget, nam eam aliquanto tempore in vasis seruare oportet vt claresçat, præterea non quocunque anni tempore nec ex quacumque Tyberis parte eam haurire opus est, sed statis & certis temporibus & ex quibusdam determinatis locis vt etiã ipsi fatentur qui eam omnium aquarum præstantissimam esse affirmant, præterea vix fieri posse videtur quin tanta excrementorum copia quæ è cloacis & aliis pene infinitis spurcissimis & impuris ac fœtentibus locis in Tyberim inuehuntur aliqua mala qualitate eius aquam afficiant, Tyberis præterea nunquam clarus est, quamobrem antiquitus Albula dictus fuit, quod nulla alia ratione fieri potest nisi quia aqua illa sua

pte natura cœnosa & lutulẽta est, quamobrem vix bonà fieri posse videtur, præterea in Tyberim multa, ac magna flumina ingrediuntur, at horũ fluminũ aquæ in quę alia flumina ingrediuntur eo nomine ab Hypp. in hoc tex. damnãtur quod nunquã hæ aquæ assimilari sibi inuicẽ possint, sed modo vna modo alia cęteras superat, quamobrẽ fieri non põt quin hæ aquę aliquã insignẽ qualitatẽ nõ habeant quod bonitati aquæ contrariũ est, nam ea opt. aqua est quę nullã insignẽ qualitatẽ habet, sed ἀσημότατον à græcis dicitur. Multę quoque metallicę aquæ quæ in Tyberim ingrediũtur eã malã esse faciunt quod illã medicamẽtosam reddũt, à quibus arte aliqua purgari nõ potest, nam quemadmodum sola natura corpora vere miscet ita etiam sola mixta corpora ab inuicem segregat, præsertim aquas, nam cũ aquæ omnes humidæ sint ita bene aqua aquæ miscetur vt nulla arte vna aqua ab alia segregari possit, sed huic rationi respondere conãtur dicuntque metallicas aquas quæ in Tyberim ingrediuntur eius aquam salubriorem facere, nam eam magis attenuantem & calidiorem reddũt & ideo salubriorem, siquidem excrementa subtiliat & vias per quas ipsa expelli debent latiores aperit, quo fit vt facilius à natura expelli possint. An hoc falsum est omnes metallicas aquas quæ Tyberinæ aquę admiscentur eam calidiorem & subtiliorem facere, nam aqua Anienis quæ in Tyberim ingreditur lapidem illum qui Romæ vulgo Triuertinus dicitur gignit, at lapides ab aquis nullo alio pacto gignuntur nisi quod crassæ & terrenæ sunt, excremẽta etiã fœtida cœnũ & lutum quæ in Tyberim inuehuntur nunquã eius aquã subtiliorẽ facere possunt, si vero aliquæ metallicę aquæ quę in Tyberim feruntur eius aquam calidiorẽ ac tenuiorem facere valeãt, non ob hoc eius aqua optima dici debet, nam aliud est aquam considerare vt nutrimenti vehiculum quoddam est & potui idoneam & aliud illam considerare vt medicamẽtum quoddam quod calefacere & attenuare valeat, si igitur hoc modo aquam Tyberis cõsiderauerimus dico facile fieri posse eam quibusdam temperamentis quæ multis crassis & viscidis excrementis referta sunt vt quendam medicamentosum cibum salubrem esse, non tamen hac de causa opt. dici debet quod manifestas quali-

qualitates medicamentosas habet quod aquæ bonitati vt dixi repugnat, & Hypp. in hoc libro huiusmodi medicamentosas aquas morbos multos gignere affirmat quos etiam vt superius vidimus enumerat, & si quibusdam temperamentis eas salubres esse autumat, si vero aqua Tyberis optima esset vt ipsi dicunt cum populus Romanus apud Augustum de caritate vini quærebatur non respondisset satis pro visum esse à genero suo Agrippa ne sitirent, nam Agrippa maxima cura & diligentia multas aquas Romam produxerat, quod facere nō opus fuisset si Tyberis aqua opt. fuisset vt isti dicunt, nec Gal. in commentario 10. tex. quarti sui commentarij in sex. librum Hyppoc. de morbis vulgaribus nunquam Romam ab elegantia & multitudine fontium laudasset si aqua Tyberis eo tempore potui idonea fuisset & opt. Cęterum quia non solum sententiam suam rationibus firmare verum etiam rationibus quæ eam destruere videntur respondere opus est, ideo primæ eorum rationi respondeo & dico tantum abesse vt difficulter putrefieri bonitatis aquæ indicium sit vt illa eo nomine maxime damnanda videatur, nam si aqua difficillime putrefit difficillime etiam alterabitur, nam corruptionē, putredinem & generationē semper alteratio antecedit, si quid igitur difficillime putrefit difficillime etiam alterabitur, si igitur aqua Tyberis difficulter putrefit difficulter quoque alterabitur & à calore innato difficulter vincetur, quare præcordia tarde pertransibit cruditates gignet & omnes eos morbos faciet quos Hypp. superius malas aquas facere dixit, & licet nutrimenta quædam facile alterentur & in eius corporis quod nutriūt substantiā mutentur, quædam vero propter & facilem alterationem prius putrefiunt quam in substantiam eius corporis quod nutriunt mutētur vt fugaces fructus omnes & nonnulla alia nutrimenta, quamobrem non videtur vt facile alterari bonitatis aquæ quæ nutrimentum quoddam est, signum sit, quod ea ante quam in corpus distribuatur propter facilem alterationem putrefieri potest, dico nutrimenta illa quę facile alterantur & concoquntur, ideo priusquam putrefiant in substantiam eius corporis quod nutriunt mutari, quod modicam habent humiditatem quæ facile à calore innato

nato vincitur & corpori quod nutritur priusquã putrefiat assimilatur, hęc tamẽ nisi calor innatus ea cito superaret, quod facile alterantur nisi à calore innato regerentur facile quoq; putrescerent, at fugaces fructus quia multam habent humiditatem, ideo à calore innato animantis regi nec vinci facile possunt, ideoq; putrefiũt, nam ad hoc vt putredo fiat opus est, vt id quod pati deberet superet illud qđ agere debet, modo agẽs calidum est, patiens vero humidũ vt bene Auer. in primo cõmẽtario suo in 4. lib. metheor. Arist. animaduertit, sciendũ tamen est licet calidum innatum ipsius nutrimẽti in proprio humido corrumpatur à calore corporis quod nutritur & ipsum ambit, non tamen ob hoc dicendum est nutrimentum putrefieri, nam quod à calore innato animantis regitur ac superatur in nobiliorem substantiam mutatur quam esset substantia ipsius antequam in substantiam animantis mutaretur, sed tunc putrefieri diceretur si in ignobiliorem substantiam mutaretur quam esset propria ipsius substantia antequam alterari cœpisset, vt si in elementa quæ ipsum componebant resolueretur, vel in aliquem aliam substantiam mutaretur quæ diuersa esset à substantia corporis illius cuius calidum ipsum nutrimentum circũdabat & regebat, vt fit cum vermes in cadauere vel etiam in corpore viuentis animalis oriuntur vt pediculi & alia quædam his similia, nec illud quod Galen. dicit perpetuum est videlicet putredinem esse corruptionem cum fœtore, nam multa putrefiunt quę non fœtent vt quercus putrida, ligna sicca, immo nonnulla sunt quæ dum putrefiunt optimum odorem habent vt moscus ille orientalis qui nil aliud est quam pus absceſſus cuiusdam animalis quod in iis regionibus degit, verum quia à primo meo proposito orationem satis deflexi, ideo quasi perorãs dico aquam Tyberinam non putrefieri, potius malę aquę quam bonæ signum esse, præsertim cum illi qui hanc aquam tantopere laudant dicant, omne quod putrefit suæ putrefactionis causam in se habere, quod dupliciter intelligi potest, nam si habere in se putrefactionis causam intelligitur aliquid suã substantiam, ita tenuẽ habere vt facillime alterari possit, ideoque facile putrefieri hoc in aqua laudãdum est, at id aquæ Tyberis non inesse etiã

qui

qui eam laudant dicunt, nam ipsam difficillime putrefieri affirmant, si verò putredinis suæ principium in se habere ita intelligitur vt illud quod putrescit ex pluribus & diuersis corporibus commixtum sit, ideoque naturæ mixtorum corporum quorum putredo proprius est affectus simile sit, hoc aquæ vitio dandum est, & Tyberinę aquę competit, & ideo facillime putrefieri deberet, sed non putrefit quod à sulphure, alumine & aliis metallis quæ in ea sunt conseruatur, at aquæ illę quæ metalla in se habent vel à locis è quibus metalla excauantur erumpunt merito ab Hypp. in hoc libro damnãtur, nec verũ est sulphureas aquas sulphur semper olere, in Æmilia enim propè vicum illum qui à diua Sophia nominatur, est quidam torrens cuius aqua frigida, limpida & clara est nec sulphur aut aliquid aliud olet, attamen ij qui eam gustant illam maxime sulphuream esse sentiunt, quod hac de causa fieri posse videtur, quod locus à quo aqua illa sulphur sumit lõge distet ab eo vbi ea aqua sulphur non olet, adeo vt tenuiores sulphuris partes in quibus odor consistit iam euanuerint, crassiores vero in quibus sapor est in aqua remanserint, falsũ est etiam alumen aquam Tyberis ita claram reddere posse sicuti est, cum aliquanto tempore in vasibus illis quæ vulgo vettinas dicunt aliquo tempore mansit quod aqua Tyberis elemẽtum purum est, ideoque alumen eam ita claram facere non potest sicuti ea corpora quæ ex pluribus componuntur clara facit, immo aqua Tyberis corpus quoddam est quod ex cœno, luto, multis ac variis excrementis, metallis & plurimis ac diuersis aquis quę sibi inuicem commiscentur compositũ est, quamobrem ab alumine clarior fieri potest sicuti cętera corpora quæ ex pluribus & diuersis corporibus componuntur, ideoque vt aluminosa damnari potest, hæc enim humida aluminosa si bibantur corporibus hominum maxime obsunt vt vina quæ in agro Pistorienſi nascuntur ostendunt, Pistorienses enim vt sua vina ęstate à putredine tuerentur alumine olim condiebant, at postquam longo vsu ea sibi obesse cognouerunt hoc vini condimentum pœnitus ommisere & aliis modis vinorum suorum cõseruationem moliere. Iniuste quoque Gal. ipsum damnare videtur veluti eum qui sibi non

constet, quoniam in compositione medicamenti illius quod διὰ κοδίων appellat cuius compositionē ipse docet secūdo cap. 6. libri de compositione medicamentorum secundum locos inquit ipse, Gal. veluti signum bonitatis aquæ pluuiæ ponens ipsam difficulter putrefieri, cum alibi sexcentis in locis contrarium dixerit, fallitur bonus hic vir, quoniam Gal. nō dicit difficulter putrefieri bonitatis aquę pluuialis signum esse, sed ideo pluuialem aquam in illud medicamentum ingredi vt ipsum putredini minus obnoxiū sit, quod ipsi pluuialis aqua præstat quoniam adstringens quodpiam in se habet, si igitur pluuialis aqua adstringens est & ideo putredini minus obnoxia, non erit opt. nam ea aqua opt. est quę nullam manifestam qualitatem in se habet quam græci ἀποιότατον ὕδος dicunt, nō esse ergo putredini obnoxiā bonitatis aquæ pluuialis signum non est, vt bonus hic vir alio quin doctus & eruditus Gal. eo in loco dixisse affirmat, sed dixit Gal. aquam pluuialem putredini obnoxiam non esse quod in se adstringens quoddam habet & loquitur Gal. de mala aqua quæ procellosa est & à nube continua, quare crassæ substantiæ est & multi terreni fumi ipsi admiscentur, qua de causa adstringens est & interdum salsa vt Arist. primo metheor. adfirmat. Cum autem aduersarij dicunt ideo aquam Tyberis bonam immo opt. esse quia clara est, si dicunt aquam Tyberis claram esse cum è flumine hauritur hoc falsissimum est, nam visu cognoscitur eam esse turbidam, si vero hi dicunt aquam Tyberis esse claram postquam in vasis aliquot diebus mansit, hoc verum est, cętęrum non dicendum est ob hoc aquam Tyberinam esse opt. nam arte & pręparatione clara fit, at aqua optima suapte natura non pręparatione aut arte aliqua clara esse debet, nec verum est quod ipsi asserunt paucas esse aquas illas quę ad hoc vt bonæ sint aliqua pręparatione non egeant, nā aqua quæ ex Aethere est de qua superius dixi nulla arte pręparatur & ferè infiniti sunt fontes quorum aquę suapte natura absque aliqua arte vel pręparatione optimę sunt. Contra tertiam vero ipsorum rationem qua dicebant aquam Tyberis ideo optimam esse quod multæ metallicę aquę in Tyberim ingrediuntur quæ eius aquam calidiorē ac tenuiorem faciunt, superius dixi quę

dicere

dicere opus erat,nunc hæc addã,è multis aquis quæ in Tyberim ingrediũtur nõ omnes eius aquã tenuiorem & calidiorẽ facere posse,nam ex Anienis aqua quę in Tyberim ingreditur lapis ille gignitur qui Romę vulgò Triuertinus dicitur,at lapides ex materia crassa,viscida, & terrena, gignuntur, quamobrem hęc aqua Tyberinam tenuiorem nec calidiorem facere valebit, quemadmodum nec cœnum nec lutum & infinita penè excrementa quę in flumen illud inuehuntur eam tenuare poterunt, cum crassa & terrena ferè omnia sint. At negant aduersarij materialem causam calculi in animantibus esse humorem crassum viscidum & terrenum,nam hi humores quod crassi viscidi & terreni sint à facultate animantis expultrice per aluum expelli & purgari, adeo vt ad renes & vesicã perue nire non possint, adeo vt ex ipsis calculi gignantur, primo dicimus in transmittẽdis humoribus naturam admirabilem esse, vt indicant sanguinis crassissimi transmissio ad nutrienda ossa & cartilagines qui terrenam ac durissimam ossium & cartilaginum substantiam penetrant, prętera transmisio humoris qui lateris dolorem facit qui membranas lateris penetrat & ad pulmonem peruenit & per asperam arteriam expuitur, nil mirum igitur si terrestres & crasiores nutrimẽti & aquę partes ad renes & vesicam ab expultrice facultate transmittuntur, præsertim cum à renum & vesicę caliditate eò attrahantur,& sua debilitate præ nimia calida intemperie fluxiones alliciant,quæ semper facillime in debiles locos feruntur, illud quoque quod ipse dicit mirum videtur videlicet ea medicamenta quæ sumuntur ad purgandos renes & vesicam crassę ac turbidæ substantiæ esse, nam medicamenta omnia quæ renes & vesicam purgant tenuissimarum partium sunt vt indicant medicamenta illa quæ ipse enumerat vt sententiã suam probet scilicet ius cicerum rubeorum, resina terebinthina, & limonum succus, quę omnia abstergunt & tenuissimarum partium sunt, cętęrum & si dederimus ex iis quę crassæ & terrenæ substantię sunt calculos non gigni, non hoc tamẽ probari potest aquam Tyberinam opt.esse vt ille ait, nam vel aqua Tyberis has partes terrenas & crassas habet vel non, si igitur aqua Tyberis has partes crassas & terrenas habet & si

calculi

calculi ex ea non gignantur, bona nedum opt. non est, si vero has partes non habet, ex crassis & terrenis calculū gigni non posse demonstrandum non est vt Aquam Tyberis optimam esse probaretur. Cum vero quarto loco ipsi dicunt aquam Tyberis ideo opt. esse quod fons ipsius magnus est & ex alto sasso fluit, dico falsum esse fontem qui Tyberis principium est magnum esse & ex alto ac viuo saxo fluere mōtemque in quo hic fons erūpit natura altum esse vt Tyrrhenū mare & Adriaticus sinus inde videantur, immo mōs in quo principiū Tyberis est satis est humilis & Tyberis principiū duo sūt fontes & exiles quidē nō magni qui sub duobus paruis arboribus qui castaneas gignunt erumpunt, vt egomet anno à seruatore nostro concepto 1564. vidi cum eò vna cum magno Tuscorum Duce Cosmo Mediceo venissem, fallitur quoque huius sententiæ author cum dicit Tyberim & Arnum ex eodem monte videlicet è monte quem Verniæ dicunt oriri, neuter enim horum fluuiorum è monte Verniç oritur, sed Tyberis principium suum habet propè vicum quendam qui vulgo le balze dicitur, qui à Verniæ monte multum distat, Arnus vero à mōte alio oritur qui à monte illo è quo fluit Tyberis triginta miliaribus distat, & longe maior est fons ille è quo Arnus oritur quam illi duo fontes sint qui Tyberis principium sunt, & multo altior est mons in quo Arnus oritur quam sit ille in quo Tyberis erumpit, prẹterea Arnus è viuo saxo oritur non autem Tyberis, hoc tamen vitio potius quam bonitati aquæ dandum est, siquidem aquæ omnes quæ è saxo oriuntur vel supra saxa fluunt lapidis naturam sapiunt, ideoque crudæ & graues sunt. At contra quintam eorum rationem dico, illos nulla ratione probare Tyberim ita esse veluti caput eorū fluminum quæ in ipsum ingrediuntur vt vi sua facile illa in naturam suam mutare possit, immo hoc fieri nō posse videtur, nam Anienis & Nar & nonnulla alia flumina quæ Tyberi admiscentur magna sunt, adeo vt nō facile ab aqua Tyberis vinci & in naturam suam mutari queant, præsertim cum ex his aquis vna non sit semper aliis validior sed modo vna modo alia, cuius varietatis multæ causæ esse possunt vt paulò supra Hypp. probauit, quare potius verendum est ne horum fluminum

num aquę inter se perpetuò dissideant,à quo dissidio hi morbi fiant quos superius Hypp.enumerauit,& si Paulus Tertius Pont.Max. aquam Tyberis quocunque ibat secum vehi iubebat, hoc ideo faciebat quia prudentissimus ille vir periculosissimum esse senibus consuetudinem mutare nouerat,nam consuetos cibos & potus etiam si mali sint homines facile ferre, insuetos vero etiam si boni sint molestè ferre, secundo de ratione victus in morbis acutis tex.*33*. Hypp. dicit, & Gal. in commentario eius tex. consuetudinem maxime posse & repentinam eius mutationem corpora non parum offendere affirmat,quia igitur ille Tyberis aquam ferè semper biberat ne consuetudinem illam in senectute mutaret & ad alias aquas transiret quamuis Tyberina meliores essent,eam secum portari volebat, immo eę sunt consuetudinis vires vt illis qui in graui loco degere consueuerunt transitus in salubrem periculosus sit & si ex eo graui loco in quo diu vixere discedunt cum in grauem illum locum redeunt saluber & iucundus reditus ille ipsis sit. Noui ego nobilem quendam virum Florentinum qui Liburni vbi graue cœlum est diu vixerat,deinde Pisas se contulerat vbi cœlum non ita graue sicuti Liburni est, cum Lyburnum redibat hũc reditum maxime sibi conferre percipiebat, & 90. annos vixit & adhuc viuit,notum est etiam mulierem quandam veneno olim nutritam esse,quod paulatim eò nutrimento assueuisset. Turcę quoque opium absque aliqua noxa deuorant quod ipsi assueuerint, non immerito igitur Quintus Curtius hyst.nobilissimus scriptor cõsuetudinem natura potentiorem esse dixit.Id tamen lectores moneo, nolle me affirmare Tyberis aquam malam pœnitus vel peximam esse,sed eam non esse omnium aquarum prętantissimam vt hi dicunt, sed plurimorum fontium aquas & eas quæ ex Aethere sunt de quibus superius dixi aqua Tyberis longe meliores esse.

Et venti huic quidem Boreas huic autem Auster vim prębent & de aliis eadem ratio est, talibus igitur in vasis lutum & arenam subsidere necesse est & ab his cum bibuntur prædicti morbi fiunt.

Cum superius Hypp. dixisset aquas fluminum in quæ alia flumina ingrediuntur & paludum in quas multę alię aquæ influunt

fluunt malas esse, quod similes sibi ipsis esse non possunt sed modo vna modo alia cęteras propter diuersas causas superat, nunc nō nullas earū causarū quæ aquis robur & imbecilli tatē addere possunt, enumerat, vt sententia sua clarior fiat, & hę sunt vēti, è quibus Boream & Austrum nominat, quoniam hi cęteris ventis vehementiores sunt, venti igitur vim & robur aquis addere & ab ipsis demere valent, quoniam si natura aquis similes sunt ipsæ quę his ventis expositæ fuerint, earum vim venti augebunt, sin verò ipsis aquis dissimiles sint nec illæ iis ventis pateant vim ab ipsis dement, at si vēti aquis similes vel dissimiles fuerint, aquæ autem illis ventis minime pateant, illarum vim minus frāgere vel augere poterunt, nam si aquæ aluminosę salsæ vel crudæ fuerint & borealibus ventis pateant, si quidem hi sapores è substantia terrena & sicca fiunt, à borealibus ventis qui suapte natura frigefaciunt & exiccant earum vires ab ipsis augebuntur, si vero austris expositæ fuerint qui suapte natura calefaciunt & humefaciunt, hi sapores frangentur, si autem hæ aquæ dulces fuerint & à calidis locis fluant Austrisque pateant ab hoc vento qui calidus & humidus est hę qualitates augebuntur, à borea vero si ipsi expositæ fuerint frangentur, & quod de Borea Austroque Hypp. dicit de omnibus aliis ventis intelligi debet si similes vel dissimiles qualitatibus aquarum fuerint & si ipsis aquę pateant vel non. Prętерea alio quoque nomine hę aquę ab Hyppoc. damnantur, quod si in aliquo vase reponuntur lutum & arena quæ ipsis commixta erant subsident, & ideo praue sunt & prædictos morbos facere possunt. Cum vero fluunt & inter se dissident lutum & arena cum in minimas partes diuisa sint propter illam aquarum commotionem ac dissidium non subsident, sed per ipsam aquarum substantiam disperduntur spargunturque, cum verò in vase reponuntur commotio illa & dissidium finiuntur & arenæ & luti minimę illę partes vniuntur & quod corpora grauia & terrena sunt in vasis fundum descendunt.

Quod autem non omnibus deinceps dicam, quorumcumque quidem aluus pulchre fluens ac sana, & vesica non feruida neque vesicę collum valde obstructum est, hi quidem facile mingunt & in vesica nihil condensatur, quo-

rumcumque

rumcumque autem aluus feruida fuerit & vesicã idem pati necesse est, quando enim magis quam pro natura incaluerit collum ipsius, inflammatur.

Ne quis crederet has aquas quæ ex pluribus aquis commixtę sunt nulli rei idoneas sed omnibus noxias esse & morbos quos Hyppoc. prædixit omnibus facere, ideo ipse inquit has aquas morbos quidē qui paulo ante dicti sunt facere sed non omnibus, nam illis qui aluum pulchre fluentem habent, idest qui excrementa sua facile reddat ideoque nimis siccus non fuerit sed sanus idest tēperate humidus, nec vesicam feruidam neque eius collum valde obstructum habeant, hi facile mingunt neque in vesica aliquid condensatur, quamobrem hę aquę calidę aluminosę & salsę licet calidæ sint, ventrem & renes ita calefacere non possunt, vt inflammentur & calculi in ipsis gignantur vel ardore vrinæ vexentur, excrementa. n. in his membris non congregantur nec condensantur quod facile hi homines mingunt, qua de causa ipsi etiam hernia nō laborant nec vesicę collum ipsis obstruitur, hic animaduertendum est in codicibus grecis qui à Germanis excusi sunt & in Aldinis, quoque hæc pars tex. μήδ ὅτομαχος τῆς κύστιος ξυμπέπτακται λίην quam partem latinus interpres in Romanum ser monem ita transfert, neque stomachus vesicę valde coardescit, at in quibusdam emendationibus quæ ad me missæ fuerunt illud verbum ξυμπέπτακται legitur συμπέφρακται quam dictionem ego latine reddidi valde obstructum est, nam quia excrementa in his hominibus neque in aluo neque in vesica retinentur sed minguntur, ideo vesicæ collum ipsis obstrui non potest, at cum aluus feruida fuerit vesica quoque idem patitur, quamobrem vrina commode reddi non potest quod collū vesicæ inflammatione obsideatur, nec aluus etiam a caliditate nimis exiccata commode deiicere valet, nam siccitas retentioni non autem euacuationi idonea est, quare excrementa illa quę retinentur morbos illos quos Hyppoc. dicit his qui predictas aquas bibunt facere possunt, nam prædictæ aquę horum morborum causas alui scilicet vesicę & renum caliditatem & siccitatem augent.

Cum autem hęc patiatur vrinam non reddit sed in se ipso concoquit & comburit & quod quidem ipsius tenuissimum est excernitur & quod purissimum progre-

progreditur & emingitur, quod autem crassissimum ac turbidissimum est cogitur atque compingitur & primum quidem paruum deinde maius fit, cum enim ab vrina volutatur quodcumque crassum coagmentatum fuerit ad se ipsum coaptat, & ita augetur & concallescit & quando mingit ab vrina impulsum vesicę collo adhęret ac lotij expulsionem prohibet & dolorem vehementē prębet, quamobrem pueri qui calculo laborant pudenda trahunt ac terunt, eo enim loco ipsis causa mictus esse videtur.

Cum in tex. illo qui hunc proxime antecedit Hypp. dixerit eos qui aluum siccam habent & calidam ab aquis calidis, dulcibus, salsis & aluminosis lędi, quoniam vesica & eius collum à caliditate & siccitate harum aquarum ipsis inflammantur, quare morbis qui ab ipso prædicti fuerunt facile laborāt, in hoc tex. quomodo idfiat nos docet & inquit morbos quos ipse prædixerat has aquas facere illis hominibus qui aluū & vesicam calidam & siccam habent ideo fieri quia cum vesica ipsiusque collum inflammata sint vrinę transitus impeditur ita vt in vesica vrina remaneat ibique aduratur ac veluti later quidam coquatur, quamobrem quicquid vrinę tenuissimum ac purissimum est excernitur quod per vesicę collum transit & emingitur, quod autem vrinæ crassissimum & turbidissimū est in vesica retinetur & vt dictum est comburitur & veluti later quidam coquitur cogiturque & condensatur, & primo quidem id paruum est deinde paulatim hac de causa maius fit, quod ab vrinę tenuiore ac puriore parte quæ mingitur volutatur eiusque partes sibi ipsis coaptantur & applicantur & ita quotidie in speciem tophi maius fit & concallescit, quamobrem cum vrinę transitui in collo vesicę se opponat quia ab vrina impellitur mictum prohibet & dolorem vehementem concitat, quod eam actionem impedit, præterea etiam sæpissime vlcus in vesicę collo facit crassum illud excrementum quod in speciem tophi creuit vt dictū est si asperum fuerit quod etiam dolorem auget, quo fit vt pueri calculosi pudendum trahant ac terant, quoniam existimant causam mictionis idest causam quę actionem illam impedit in pene ipso esse & præsertim in eius suprema parte quæ exquisitum sensum habet, & ideo noxam illam pruritumq; ac dolorem quæ in collo vesicæ sunt magis sentit quam collum ipsum quod

primo

primo læditur, quia sensum non ita exquisitum habet sicuti suprema pars penis habet.

Certa autem nota vt res ita se habeat est, lotium enim splendidissimum mingunt qui calculo laborant, quoniam quod crassissimum & biliosissimum eius est remanet & cogitur, plerique igitur hoc pacto calculo laborant.

Plerisque eo modo quo dictum est calculum gigni certissimo signo Hypp. probat, videlicet quod calculosi splendidissimum lotium mingunt, quod ideo fit quia ea pars lotij quæ crassa biliosa idest adusta turbidaque est in vesica remanet, tenuis vero clara & pura mingitur, nã si vrinæ crassiores & turbidiores partes mingerentur, vrina crassa ac turbida mingeretur, at quia eæ in vesica remanent, tenuiores vero puriores & clariores minguntur, ideo calculo si splendidissimũ & clarissimum meiunt. Animaduertendum hoc in loco est in codicibus græcis, qui à Germanis & ab Aldo quoque impressi sunt tex. hunc ita legi, τεκμήριον δὲ ὅτι οὕτως ἔχει, τὸ γὰρ οὖρον λαμπρότατον οὐρεῖσιν οἱ λιθιῶντες πρὸς τὸν γινόμενον ὀρρὸν, videlicet, signum autem vt res ita se habeat hoc est, vrinam splendidissimam calculosi mingunt ad seri similitudinẽ, & hanc scripturã latinus interpres probat, at in antiquissimo codice manu scripto è quo emendationes quædam vt dixi ad me missæ sunt, eæ dictiones πρὸς τὸν γινόμενον ὀρρὸν non leguntur, quę latinus interpres in latinum sermonem transfert ad seri similitudinem, melius itaque videtur eas dictiones non legere, quoniam serum non ita splendidum clarum ac limpidum est vt sunt lotia eorum qui calculo laborant.

Fit quoque pueris & ex lacte nisi salubre sed nimis calidum & biliosum fuerit, ventrem enim & vesicam percalefacit, quapropter lotium dum comburitur hęc patitur.

Nequis crederet homines eo pacto quo dixi à solo prædictarum aquarum potu calculosos fieri, ideo Hypp. in hoc tex. dicit puerulos & infantes qui lacte vescuntur & si aquam nõ bibunt, attamen ex prauo lacte quod ab vberibus nutricum sugunt calculosos fieri, nam si lac nimis calidum & biliosum fuerit, pueruli ventrem & vesicam per calefacit, quę membra cum percalefacta sunt vrinam comburunt quæ dum combusta est mala quæ supra Hypp. retulit, patitur eo modo quem

in

in tex. qui hunc proxime antecedit ipse dixit.

Et dico puerulis vinum quam aquosissimum dare satius esse, minus enim venas comburit & arefacit.

Cum superius Hypp. dixerit ex lacte in salubri ac bilioso puerulis calculos gigni, in hoc tex. hoc documentum tradit, videlicet longe melius esse puerulis vinum quam aquosissimum potui dare quam permittere vt lac nimis calidum & bilio sum ab vberibus nutricum sugant, quam sententiam ipse hac ratione probat, nam vinum aquosum ideſt tenue, album, splendidum & quod in aqua minime valet quod vinum latini lene appellant, minus quam lac nimis calidum & biliosum venas calefaciat & cõburat, et enim & si vinum suapte natura calidius quam lac sit, attamen quia vinum illud quod Hypp. puerulis potui dandum esse præcipit lacte tenuius est, ideo citius per renes & vesicam transit, quamobrem hæc membra inflammare non valet vt lac biliosum veluti nimis calidum quod eo vino longe crassius est, quapropter ægrius per renes & vesicam transit & in illis membris diutius immoratur quam prædictum vinum, illaque membra magis inflammare valet & calculum gignere.

Muliebribus vero pudendis nõ similiter fit, collum enim vesicæ breue est & latum, quare vrina facile compellitur, neque enim manu vt masculus pudendum terunt, nec vesicæ collum tangitur, in pudendis enim perforatæ sunt, viri autem non recta sunt perforati, & quod vrinę meatus lati sunt & plus bibunt quam pueri. De iis quidem igitur sic se res habet aut his quam proxime.

In hoc tex. Hypp. rationem reddit cur muliebria pudenda non afficiantur vt pudenda masculorum, ideſt cur mulieres dum calculosæ sunt vel vrinæ difficultatem patiuntur puden da non terunt nec trahunt vt masculi faciunt, & hoc fieri dicit eo quod mulierum vrinarij meatus & vesicæ collum breue est & latum, quamobrem vrina facile & cito à natura impellitur, nec diu in illis membris moratur, neque collum vesicæ ab vrina vndique tãgitur quod latum & recta perforatum sit, quapropter vrina in membro illo nullum tristem sensum facit qui in suprema pudendi parte sentiatur ea de causa quam superius dixi, cum igitur nullum tristem sensum percipiant, pudenda sua vt viri non terunt nec trahunt, & enim viri in illis

lis membris recta perforati non sunt vt anatomia nos docet, præterea mulierum vrinæ meatus lati sunt vt dixi ipsæque plusquam pueri bibunt, ideoque facilius quam pueruli meiunt, postremo Hypp. perorat & de prædictis aquis ita rem se habere vt dixit vel quam proxime his quæ dixit affirmat, vbi animaduertendum est in omnibus codicibus græcis qui impressi sunt tex. hunc ita legi ἐς γὰρ τὰ αἰδοῖα ξυντέτρηνται καὶ διότι οἱ οὐρηθῆρες εἰσὶν εὐρεῖς, quę verba si in latinum sermonem transferantur hoc significant videlicet, ad pudenda enim perforati sunt & quia meatus sunt lati, & hanc lectionem latinus interpres probat, at in emendationibus illis quas ad me missas fuisse pluries dixi tex. hic ita legitur ἐς γὰρ τὰ αἰδοῖα ξυντέτρηνται οἱ δὲ ἄνδρες οὐκ εὐθὺς τέτρηνται καὶ διότι, &c. quæ verba si verbum verbo reddatur significant, in pudendis enim perforatæ sunt, viri autem non recta sunt perforati, quam scripturam ego magis probo quam primam. Illud quoque notandum est iuniorem quēdam doctum sanè & accuratum virum qui in hunc librum commentaria ædidit, vocem illam πίνουσι legere οὐρεῖνσι, nam mulieres propter canalium amplitudinem atque mollitiem difficilius vrinam retinent, & noctu sæpius in lecto mingunt quam viri, quæ sententia & si vera est, tamen cum in omnibus codicibus impressis πίνουσι non autem οὐρεῖουσι legatur nimis periculosum videtur sola coniectura locum aliquem emendare, præsertim cum si legatur πίνουσι sententia etiam vera sit, videlicet mulieres quod plus bibunt plus & facilius meiere quam pueri mingant.

CAPVT SEXTVM.

DE annis vero sic quis considerans dignoscat qualis nam annus futurus sit morbidus vel salubris.

Cum Hypp. hucusque de aquis & de vrbium ac regionum situ dixerit, videlicet quæ nam vrbes & regiones bene quę vero male positæ sint, nunc ad docendum nos transit de anni tempestatibus quæ ad aerem pertinent, vt ab his signis quæ ipse nobis tradet qui nam annus salubris qui vero insalubris futurus sit cognoscere valeamus, & primum in hoc tex. vtili-

tatem proponit quam ex hoc tractatu habere possumus, vide licet iis signis quę in hac libri parte ipse nobis tradet cognoscere vt dixi an salubris vel in salubris annus futurus sit. Sed animaduertendum est in omnibus codicibus græcis qui impressi sunt primam huius tex. partem legi περὶ δ' ἐτῶν ideſt de annis, in nonnullis vero codicibus manuscriptis hęc eadem pars legitur περὶ δ' ὡρέων, ideſt de tempestatibus, nam tempestates, aeris qualitates quædam sunt quę salubritatis & insalubritatis anni sunt causæ, ideoque Hypp. in toto hoc cap. de variis anni tempestatibus agit vt de iis à quibus annus salubris vel morbosus fit & ab ipsis etiam anni salubritatem vel insalubritatem dignoscere possumus, vtroque tamen modo hęc pars legi potest, nam si legamus de annis non ideo caput hoc de annis inscribendum est quod in eo de anni qualitatibus agatur, sed quia in eo quæritur ipsius salubritas & insalubritas quæ per tempestates dignoscuntur, si vero hęc pars ita legatur de tempestatibus bene se scriptura habebit, quoniam de iis ipsis in hoc cap. agitur. Id quoque notandum est duobus in locis de anni temporibus Hypp. agere videlicet in hoc libro & tertio secto aphoriss. nō est autem dicendū in his duobus locis eodem modo & propter eādem causam Hypp. de anni tempestatibus agere, hoc enim sapientię ac prudentię tanti viri vt Hypp. fuit non conuenit, nec etiam dicendum est alterum ex his libris non esse Hypp. nam & hic liber & tertium aphoriss. sectum legittimi Hypp. libri sunt, an Hypp. in tertio aphoriss. secto de tempestatibus egit vt sciremus à tempestatibus pręcognoscere non solum morbos qui futuri sunt, sed etiam ipsorum finem longitudinem & breuitatem & ea quę in ipsis eueniunt cognoscere? prętera etiam vt ea quę à vi morbi ab iis quę à tempestatibus in morbis fiunt discernere possemus, hic vero de anni constitutionibus egit vt morbos quos in vna quaque regione, temperamento & ętate eæ facere possent nos doceret, vel Hypp. breues quasdam & vniuersales regulas totius medicinę nobis tradere voluit artis longitudini consulens quas ex pluribus & variis obseruationibus quas ipse circa ægros fecerat & ex multis experimētis & rationibus atque ex iis de quib. alibi particulatim dixerat

in

in illum aphoriſſ.librum congeſsit, in hoc autē libro de tempeſtatibus & morbis quos ipſę facere conſueuerunt particulatim egit, & ideo bis de eadem rè fruſtra non dixit quod finis ipſius in his duobus libris diuerſus ſit.

Siquidem enim cum ſydera occidunt & oriuntur, ſigna ſecundum rationem fiant, & in autumno pluat, hyems moderata nec valde tranquilla ſit, neque opportunitatem frigore excellat, & vere, atque æſtate tempeſtiuæ aquę fiant, ita annum ſaluberrimum eſſe veriſimile eſt.

Quia rectum ſui ipſius & obliqui iudex eſt, ideo Hypp. primum nobis ſigna illa tradit quibus rectum annum ſaluberrimum ſcilicet dignoſcere valeamus, cum enim hunc cognouerimus reliquos annos qui a temperato diſcedunt facilius cognoſcemus, inquit igitur ſi cum aſtra oriuntur & occidunt ſigna ſecundum rationem fiant, vbi animaduertendū eſt Hyppoc. ab ortu & occaſu ſtellarum anni partes ſumere videlicet ver, æſtatem, autumnum, & hyemem, quod Hypp. fecit vt tractatus omnibus gentibus communis eſſet, nam ſydera & ſtellæ omnibus gentibus licet diuerſis diebus & menſibus oriuntur & occidunt, quamobrem menſes variis & diuerſis gentibus varij & diuerſi ſunt vt Gal. in ſecundo commentario ſuo in primum librum Hypp. de morbis vulgaribus bene animaduertit, quæ igitur ſunt ſigna quæ cum ſydera oriuntur & occidunt ſecundum rationem fieri debere Hypp. dixit? ea quæ ipſe ſtatim narrat videlicet vt in autumno moderate pluat, tunc enim ſiccitas eius tēporis à pluuia temperabitur, quamobrem ea anni pars ſalubris erit, hyems vero moderate frigida & humida ſit ita vt eius frigus nimis non excellat, nec nimis tranquilla & ſerena ſit, quoniam ſi nimis tranquilla & ſerena eſſet à natura hyemis quę frigida & humida eſt diſcederet, græce vox illa εὔδιος quam ego in latinum ſermonē tranſtuli *tranquilla*, iunior quidam doctus ſanè & accuratus vir *ſiccam* ſignificare dixit hac ratione motus, quod Hypp. nil aliud in hoc loco demonſtrare velit niſi ſi hyemem moderate frigidam & humidam eſſe oportere, at huic naturæ ſiccitas repugnat, ideo eam valde ſiccam eſſe non debere Hypp. affirmauit. Hæc ſententia primū huius vocis ſignificationi repugnat, nullus enim gręcus author hanc vocem εὔδιος ſiccum

significare dixit, deinde eam vocem interponere non oportebat cum Hyppoc. dixerit hyemem moderate & temperate frigidam esse debere, nam si moderata esse debet nunquam nimis sicca erit, sed ideo dixit Hypp. non opus esse vt hyems nimis tranquilla sit, quoniam in ea pluere & Boream qui ventus vehemens est spirare debet, quę omnia cœli tranquillitatem impediunt, & nisi fiant, hyems secundum naturam non erit. Vere autem & æstate tempestiuæ aquæ fiant idest non frequẽtes, nec procelloſę aut vehementes & nimis longę, quoniã hoc pacto ver naturam suam seruabit quod temperatum esse debet vel vt superius dixi moderate calidum & humidũ, seruor autem æstatis à tempestiua pluuia moderabitur, quę si fiant annum saluberrimum fore sperandum est; nam ita mutationes vnius temporis anni in aliud sensim & non confertim fient vt Gal. in primo commẽtario in primum librum Hypp. de morbis vulgaribus non longe à principio dicit, quæ mutationes morbos non faciunt, sed eæ quę magnæ sunt morbos potissimum faciunt vt Gal. in cõmentario primo primi aphoris. tertij sẽcti affirmat. Sed cur Hyppoc. dixit siquidem signa secundum rationem fiant cum sydera oriuntur & occidunt, cum ea quę in hoc tex. Hypp. enumerat ortus & occasus sydẽrum effectus sint? an quod signa præsertim propria, eorum quorum sunt signa effectus sunt? ideo tempestates quas hic ipse enumerat signa ab eo dicuntur, quia ortus & occasus syderum effectus sunt, præterea cum anni tempora ita se habẽt secundum naturam sunt, ideoque nullum malignum sydus vel stellam cum his qui anni tempora distingunt oriri vel occidere indicant. Sed cum Hypp. dixerit, cum sydera oriuntur & occidunt de quo nam ortu vel occasu dixit? nam ortus & occasus multipliciter dicuntur, an de mundano? tunc enim anni temporum vnius ad aliud transitus fit cum sydera mundane oriuntur & occidũt, & hic annus temperatus quem Hypp. in hoc loco describit est ille idem annus quem ipse 8. aphoris. tertij sẽcti constans tempus vel constantem annum appellat vt Gal. in commentario illius aphoris. dicit & eorum quæ Hypp. in hoc loco dicit testimonio vtitur.

Si vero

Si vero hyems quidem squalida & aquilonaris, ver autẽ pluuium & Australe fuerit, æstatem febriculosam esse & lippitudines gignere necesse est, quando enim æstus repente succedat, & terra à vernis imbribus & ab Austro humida sit, calorẽ duplicari necesse est, & à terra quę calida est & humida, & à sole qui adurit, & intestina hominibus nõ dum confirmata sunt, neque cerebrum resiccatum, non enim fieri potest vt vere tali existente corpus & caro flaccida non sint, adeo vt acutissimę febres omnibus superueniant, & intestinorum tormina pituitosis maxime fieri verisimile est, & mulieribus & natura humidioribus.

Cum Hyppoc. in tex. qui hunc proxime antecedit de anno constante & temperato nos docuerit, nunc transit ad annos inconstantes qui à temperato recedunt, & incipit ab eo anno qui hyemẽ aquilonarem & siccam, ver autem pluuium & australe habet quæ ita intelligenda sunt vt hyems siccior & magis borealis, ver autem magis pluuium & australe sit quam hyems & ver anni temperati, & inquit in hac anni cõstitutione febres multas fore, at in vltima huius tex. parte & 11. aph. tertij secti eas acutas quoque futuras esse, nec solum febres acutas, verum etiam lippitudines fore affirmauit, quorũ morborum causam hanc esse dixit, quod humana corpora nimio humore referta sint propter australem & pluuiam veris tempestatem, terra quoque eadem de causa madida est, cum igitur hominum corpora ita se habent ad putredniem præparata sunt, nam vt superius dixi propter nimiam humiditatem putredo fit, calor vero æstatis duplicatur, nam id anni tempus suapte natura calidum & siccum est, sed in hac tempestate duplicatur, quod terra madẽs est & propter solis calorem feruet, & à feruore illo caliditas & æstus augentur, quamobrem putridæ febres fiunt, lippitudines quoque homines vexant, & enim cum cerebrum suapte natura humidum sit, ab hyemis tempestate quæ frigida est ad huc humidius efficitur, nec à vere propter humidam & australem eius constitutionẽ resiccatur; quapropter cum humidum illud ab æstatis calore fundatur, in oculos defluit & lippitudines facit, ideo autem in oculos hi humores decumbunt quod oculi membrum laxum sint quod facile fluxiones recipere & suo continuo motu eas ad se allicere potest, quibusdam exceptis quibus oculi prævalidi sunt vt Gal. in commentario 11. aphoris. tertij secti

animaduertit,cum autem inteſtina propter nimiam veris humiditatem in æſtate confirmata non ſint ſed flaccida vt cerebrum & caro,ideo inteſtinorum tormina fiunt,nam humores qui a feruore æſtatis acriores facti ſunt in inteſtina feruntur quod confirmata non ſunt & ea abradunt & prædictum morbum gignunt, ſi quis vero cauſam ſcire deſiderat cur in hac conſtitutione hyeme nec vere hi morbi non fiant ſed æſtate is commentarium Gal.in 11. aphoriſ. tertij ſecti legat, ibi enim Gal.cur hyeme nec vere ſed æſtate quę his duobus anni temporibus ſuccedit hi morbi fiant rationē reddit,nam acta agerem ſi ea quæ ibi Galen.optime dicit,hoc in loco ambitioſius recenſerem, manifeſtum quoque eſt cur hic & 11.aphoriſ.tertij ſecti Hypp.dicat hos morbos mulieres,pituitoſos & demū natura humidiores vexare, nimia enim humiditas huius cœli conſtitutionis hos morbos facit, quibus hi qui etiam ſuapte natura humidi ſunt magis periclitantur, illud vero animaduertere opus eſt in omnibus græcis codicibus impreſſis legi ὑγροτάτοισιν quæ vox *humidiſſimis* ſignificat, at in emendationibus illis de quibus ſæpius dixi legitur ὑγροτέροισιν quæ dictio *humidioribus* ſignificat, & hāc ſcripturam latinus interpres probat, quæ etiam melior mihi videtur, nam & ſi corpora in prædicta tempeſtate humidiſſima nō ſint ſed humidiora temperatis,iis morbis qui prædicti ſunt æſtate neceſſario laborabunt. Illud quoque conſiderandum eſt qua nam ratione in hoc loco Hypp. dicat propter nimiam humiditatem acutiſſimas febres fieri, at 16. aphoriſ.tertij ſecti dixit morbi in pluuiarum multitudine magna ex parte fiunt, febres longę &c. An in 16.aphoriſ.pluuias & humiditatem longarum febrium efficientes cauſas eſſe, hic vero nimiam humiditatem non efficientem cauſam acutarum febrium ſed materialem,efficientem vero cauſam harum febrium æſtuum nimiumque æſtatis feruorem eſſe dicit. De hac etiam Hypp.ſententia dubitandū videtur,nam hi morbi qui in æſtate fiunt quam hyems frigida & ſicca, ver autem humidum & auſtrale anteceſſit, ambæ hæ cōſtitutiones hyemis ſcilicet & veris horum morborum cauſæ eſſe debent, ſecus autem fruſtra & hic & in 11.aphoriſ.tertij ſecti frigida & ſicca hyemis tempeſtas ab Hyppoc.ponere-

tur,

tur, at qua nam ratione hyems frigida & ſicca morbos qui à nimia humiditate fiunt gignere poteſt? præſertim cum Hyppoc. 5. aphoriſ. tertij ſecti dicat, ſi aquilonia conſtitutio fuerit tuſſes, fauces, alui duræ &c. quos morbos omnes à ſiccitate eius tempeſtatis Galen. in commentario eius aphoriſ. fieri probat, 17. quoque aphoriſ. eius ſecti Hypp. dicit, quotidianæ autem conſtitutiones aquilonię quidem corpora denſant &c. & Gal. in commentario eius aphoriſ. aquilonem ſua frigiditate & ſiccitate omnes corporis ſuperfluitates conſumere & omnibus inſtrumentis robur addere dicit, quod ea ſua frigiditate & ſiccitate ſtringat, denſet & in vnum cogat, quo fit vt corpora firma & robuſta ſint. An hyems nimia ſui frigiditate in ambitu corporis humiditatem auget? quamobrem defluxiones à capite & ſomni longiſſimi hyeme fiunt vt idem Hypp. 15. aphoriſ. primi ſecti dicit, & pituita multa hyeme hac de cauſa gignitur vt Hypp. in lib. de natura humana dixit, & cum borealis ille ventus vehemens ſit habitum corporis eius frigiditas penetrat & humiditatem auget, & hoc pacto hyems borealis & frigida quamuis alioquin ſalubris vt in prædictis locis Hypp. dicit ad morborum qui prædicti ſunt ortum qui ex nimia humiditate fiunt conferre poteſt.

Et ſi quidem circa canis ortum pluuia & procella ſuccedant, & venti anniuerſarij flauerint, vt deſinant ſpes eſt, atque autumnus ſalubris, ſit, ſin minus pueri & mulieres morte periclitantur, minime vero ſenes, & iis qui ſeruantur in quartanam terminari & ex quartanis in aquam intercutem.

Cum Hypp. morbos illos qui æſtate fiunt quando hyems borealis ac frigida, ver autē pluuioſum & auſtrale fuerit enumeraſſet, nunc tranſit ad ſigna quibus cognoſcere valeamus quando hi morbi deſinere & quando vel ipſimet vel cum in alios morbos mutantur homines tollere debeant & inquit, ſi circa ortum canis pluerit & anniuerſarij venti vehementius ſpirent, tunc morbos illos ceſſare debere ſperandum eſt, nam pluuia æſtatis feruorem extinguet, venti autem anniuerſarij ſua frigiditate & ſiccitate eundem feruorem obtundent & nimiam terræ corporumque humiditatem conſument, & enim ſi abſque ventis plueret, feruor quidem æſtatis obtunderetur, at nimius terræ ac corporum humor qui putredinis materia

est remaneret, quapropter morbi illi non desinerent, itidem si venti flarent, nec plueret nimia humiditas consumeretur, at æstatis feruor non ita extingueretur vt morbi illi cessarent. Sed notandum est Hyppoc. dicere si pluuia & procella fuerit quibus verbis significare videtur pluuiam vnà cum vehemẽtibus ventis fieri oportere, nam procella vt superius dixi impetuosus ventus est, quæ ideo fieri opus est ne pluuia sola corporum ac terræ humorem multiplicet, nam venti suo motu & impetu semper exiccant, ideoque vnà cum pluuia spirare debent, at vero quia anniuersarij venti vnà cum pluuia raro spirant, sunt enim natura boreæ similes & ad obtundendum æstatis feruorem & nimium terræ corporumque humorem siccandum opportuni sunt, ideo ipse post quam pluuiam & procellam fieri opus esse dixit his verbis subiecit, & anniuersarij vẽti flauerint, scilicet vt post pluuiam & procellas anniuersarij venti spirent, nisi autem hæc fiant pueri & mulieres morte periclitabuntur, quod humiditate abundent, senes vero minime quod frigidi & sicci sint, pueri igitur & mulieres ab his morbis tollentur, si qui vero ex ipsis seruabuntur in quartanas febres incident & è quartanis in aquam inter cutẽ, in quartanas autem hi morbi desinẽt, quod à febre & ab æstu tenuiores humorum partes consumptę sint, crassiores vero re manserint, è quibus quartanę fieri consueuerunt, in aquam vero inter cutem è quartanis incident, quod calor naturalis iecinoris ita à febre & ab æstatis feruore debilitatus sit, vt aquam non autem sanguinem gignat & aquam inter cutem faciat, quod peximum & lęthalissimum hydropis genus est, si quidem præ siccitate quæ humores consumere solet ad eam imbecillitatem iecur redactum sit vt aquam gignat. Id autem sciendum est tempestatem quam Hypp. in hoc loco prędictos morbos facere dixit eam in omni regione eosdem morbos facere posse, sed maxime & longe magis lęthales in locis calidis & humidis, minime vero & salubriores in locis frigidis & siccis in quibus calor & humor ægrius augentur, in reliquis vero facilius vel difficilius & minus vel magis lęthales fiunt, vt calidis & humidis locis similiores vel dissimiliores fuerint.

Si autem hyems australis & pluuia & tranquilla fuerit, ver autem aquilonare, squalidum & procelloſum, primum quidem mulieres quę prægnantes fuerint & tempus partus ipſis aduenerit, vere ab ortum facturas, quæcumque vero pepererint imbecilles & morbidos parere, adeo vt vel ſtatim pereant vel tenues & imbecilles, ac morbidi exiſtentes viuant. Hęc quidem mulieribus, reliquis vero inteſtinorum tormina, ſiccas lippitudines, nonnulliſque à capite in pulmonem defluxiones.

In hoc tex. Hypp. duas aeris conſtitutiones tractat quę contrariæ ſunt illis de quibus ipſe in tex. qui hunc proxime antecedit dixerat vt bene Gal. in commentario ſuo in 12. aphoriſ. Hypp. tertij ſecti animaduertit, nam in tex. qui hunc proxime antecedit morbos enarrauit quos hyems ſqualida & aquilonaris, ver autem pluuioſum & auſtrale, æſtate faciunt, in hoc autem tex. morbos illos tractat quos hyems pluuioſa auſtralis & tranquilla, ver autem ſqualidum aquilonare & procelloſum vere ipſo facere conſueuerunt & inqnit, ſi hyems pluuia, tranquilla & auſtralis, ver autem aquilonare ſqualidum & procelloſum fuerit, primum mulieres grauidas cum tempus partus aduenerit ab ortum facere neceſſe eſt, & niſi ab ortum fecerint ſed bene pepererint, pueros imbecilles, morbidos ac tenues neceſſario ædent, adeo vt vel ſtatim moriantur vel imbecilles & morbidi viuant, & hæc mulieribus in his tẽpeſtatibus vere euenient, reliquos vero inteſtinorum tormina, ſiccæ lippitudines, nonnullos vero deſtillationes à capite in pulmonem vexabunt, vbi animaduertendum eſt Hyppoc. cum in hoc tex. prædictos morbos qui in his tempeſtatibus vere fiunt enumerat, nullum verbum interponere à quo hæc omnia quæ ipſe enumerat regantur, videlicet neceſſe eſt vel credibile eſt aut aliquam aliam talem vocem, hoc enim ipſe ideo fecit quoniam hęc omnia quæ ille in hoc tex. narrat ad illas duas dictiones videlicet *neceſſe eſt* quas ille in tex. qui hunc proxime antecedit, poſuerat, referri vult, præterea notandum eſt iuniores quoſdam vocem illam *tranquilla* ex hoc loco expungere velle & non nullas rationes adducunt quæ nõ admodum validę ſunt vt eam vocem *tranquilla* ex pungendam eſſe probent, ego autem cum in omnibus græcis codicibus impreſſis eam inuenerim tum etiam in 12. aphoriſ. tertij ſecti

in

in quo Hypp.has easdem tempestates tractat eam vocem ponat & Gal. in commẽtario suo in illum aphoris.eam exponat, illam hoc in loco legendam esse omnino censeo, illud quoq; considerare opus est qua nam ratione hyems australis & tranquilla esse possit, si quidem ea vox australis significare videtur vt meridionales venti in ea anni parte spirent, quod si fiat quomodo tranquilla esse poterit? & tamen non solum hic verum etiam tertio de morbis vulgaribus cum de toto anno pestilenti Hypp.loqueretur,dixit annus austrinus pluuius à ventis in totum silens. An hyems austrina & tranquilla esse potest?nam temperamentum idem habere valet quod Auster habet videlicet calidum & humidum & si Auster non spiret, vt bene Galen. ostendit in commentario suo in tertium librum Hypp.de morbis vulgaribus cum prædictum tex. exponeret. Cur autem in his duabus tempestatibus non nulli è morbis quos Hypp.in hoc tex. enumerat mulieres vere inuadant Galen. in commentario suo in 12. aphoris. opt. probat & ab eo horum morborum causę & rationes cur ipsi fiant in de petere opus est.

Pituitosis quidem igitur & mulieribus intestinorum tormina fieri verisimile est,quod propter naturę humiditatem à cerebro pituita defluit,bilioſis vero propter carnis caliditatem & siccitatem lippitudines siccas,valde autem senibus propter venarum raritatem & colliquationem, destillationes, adeo vt nonnulli quidem ac tutum phrenitide pereant, nonnullis vero dextra aut sinixtra parte neruorum resolutio fiat, hyeme enim australi & calida existente corpus non confirmatur, vere autem squalido frigido & boreali succedente, quando cerebrum à grauedine & raucedines simul purgari & dissolui oportebat, tunc cogitur & confirmatur, quapropter æstate æstu ac mutatione superueniente hos morbos irruere, & intestinorum leuitates & aquæ inter cutes his morbis desinentibus succedunt,& enim ventres non facile resiccantur.

In hoc tex.Hypp. rationem reddit cur morbi illi quos ipse enumerauit in prædictis tempestatibus fiant, vbi animaduertere opus est Hypp. in hoc tex. rationem non reddere cur his tempestatibus mulieres facile ab ortum faciant vel si pariunt partus imbecilles ædunt,qui statim cum nati sunt moriuntur vel tenues ac morbidi viuunt, quod qua ratione Hypp. fecerit dicere non habeo vt Gal.quoque in commentario 14.aph. tertij secti dicit,se non posse dicere cur Hypp.cum multę alię

cœli

cœli tempestates sint de tribus tantum dixerit, vel Hyppoc. huius effectus causam tacuit quia solæ hę tempestates mulieribus ab ortus causę non sunt, sed opus est aliqua occasione propterquam ipsę ab ortum faciant, quamobrem in aphor. prædicto ipse dixit in his tempestatibus mulieres à quacũque occasione quamuis leui abortire, quasi non solæ hę tempestates ab ortum faciant, sed aliqua occasione quamuis leui vt dixi opus sit ad hoc vt ipsę ab ortum faciant, cęteri autẽ morbi de quibus in tex. qui hunc proxime antecedit Hypp. dixit à solis his constitutionibus absque aliqua alia causa fieri possunt, ideoque ipse rationem adducit cur in his tempestatibus hi morbi fiant, Galen. quoque in commẽtario prędicti aphor. probabilem & manifestam rationem adducit cur in his tempestatibus mulieres facile ab ortum faciant, quam vnusquisq; per se ipsum considerare potest, cęterum & si sola tempestas ab ortus causa nõ est, sed aliqua alia occasione est opus vt ab ortus fiat, hoc quod infantes scilicet cũ in lucem æduntur vel moriuntur vel valetudinarij viuant à solis his tempestatibus fit, & tamen neq; hoc in loco neque in 12. aphoris. tertij secti huius effectus nullam rationem adfert. An Hypp. nullam huius effectum rationem adducit, quod breuitati studuerit neq; otiosis agricolis & tardis ingeniis sed sollicitis & industriis femina seruit, qui à seipsis aliqua inuenirẽt? ideo nobis qui eius doctrinam sectamur huius effectus rationem inueniendam reliquit vt Gal. sæpius dixit, ideo ego huius effectus aliquam saltem probabilem causam inuenire pro viribus conabor, dico igitur puerulos qui in prædictis tempestatibus oriuntur statim perire, quia prę nimia hyemis humiditate nimis humidi sũt & ideo debiles, quamobrem mutationem illam ab vtero matris in lucem ferre non possunt, præsertim cum veris tẽpestas vehemẽs sit propter procellas & boreales vẽtos qui vehemẽtes sunt, & ideo ac tutum moriuntur, & hac eadẽ ratione in his tempestatibus mulieres ab ortum faciunt, quia ligamenta quæ partum sublinent præ nimia humiditate hyemis nimis humidi ac flaccidi sint, ideo concussionem illam & impetum ventorum pati non possunt & partum substinere, quapropter partus concidit & ab ortus fit, illi autem pueruli qui statim

tim non moriuntur tenues, imbecilles, ac morbidi viuunt, quod nimis humidi sint ea de causa quā nunc dixi, ideo à qua cumque aeris mutatione afficiuntur & morbidi fiunt, imbecilles autem & tenues quod non bene nutriantur propter caloris innati debilitatem quam à nimia humiditate ipse contraxit, quamobrem maior nutrimenti pars in excrementa mutatur, calor enim innatus si nimis humidus sit excremētosus est, præterea notandum est ex his morbis quos in his tempestatibus Hypp. fieri dixit quosdam vere fieri quosdam autem & vere & æstate quæ ipsi veri succedit, ideo igitur mulieribus ac pituitosis intestinorum tormina Hypp. fieri dixit, quia à capite in intestina salsa pituita defluit, nam humiditas quæ in capite multiplicatur cū ipsum suapte natura humidū sit à cœli humiditate augetur & calefit fitque pituita salsa & in intestina decumbit eaque abradit & intestinorū tormina facit, vt bene Gal. hanc Hypp. rationem in commentarium 12. aphoris. tertij secti transferens animaduertit, bilioſos vero siccę lippitudines inuadūt, quod caro ipsorum calida & sicca humores qui ad oculum feruntur effluere non sinit, nam siccitas præsertim ea quæ caliditati iungitur corpora duriora efficit, addit Gal. in commentario suo in prædictum aphoris. aeris frigiditatem quæ oculos constringit humorum ex oculis effluxum impedire. Valde senes autem destillationes vexare Hyppoc. ait propter venarum raritatem & colliquationē, adeo vt quidam ex ipsis statim phrenitide pereant, alij vero dextrę vel sinixtrę partis neruorum resolutione laborēt, nam venę senum propter senectutem flaccidę sūt, senectus enim veluti marcescens planta est, quapropter earū partes simul contineri non possunt, & ideo rarę & conliquatę dicuntur, præsertim cum à calida & humida hyemis tempestate adhuc humidiores, magis flaccidæ ac conliquatę factæ sint, quamobrem hyemis humiditatem intra se recipere non autem confirmari potuerūt, cum ver deinde frigidum & boreale successerit quod humiditates illas comprimendo expressit, destillationes concitatę sunt quę senes ac tutum interfecere, si igitur per phrenitidem exquisitam phrenitidem intelligamus ea morbus quidē acutus est qui cito interimit sed non statim vt greca vox ἐξαίφνης signi-

significare videtur, ideo ea dictio, *cito* interpretanda est, vel per phrenitidē destillationē quæ statim homines tollere possit vt apoplexia facit, intelligere oportet, præterea cum vere quādo grauedines & raucedines à calore & tepore eius temporis anni sanari & consumi deberent, à frigiditate & siccitate quæ illi tempori præter naturam est corpus constringitur, non solum vere propter expressionem prædicti morbi fiunt sed æstate quæ veri succedit propter repentinam à frigido in calidum mutationem hi morbi irruunt, quoniam humores qui in corporibus hominum inclusi sunt incenduntur & conliquantur, quare non solum prædicti morbi homines male habent, sed intestinorum leuitates, ex quibus aqua intercus oritur præ nimio humore qui difficulter resiccari potest, & quod calor naturalis à nimio alui fluore debilitatur & quod ad desidendū sæpius quam opus est surgere oportet.

Si vero æstas pluuia & Austrina fuerit & autumnus, hyemem morbosam esse necesse est, & iis qui quadragesimum annum egere ardentes febres fieri probabile est, biliosis vero, lateris dolores & pulmonum inflammationes.

Vnam tempestatem in hoc loco Hypp. tractat quę duobus anni temporibus æstati scilicet & autumno communis est, videlicet si vtrumque horum temporū humidum & australe sit, quæ cōstitutiones ambobus his temporibus præter naturam sunt, nam æstas calida & sicca esse debet, autumnus vero frigidus & siccus, hyemē quæ his duobus anni temporibus succedit morbosam fore Hypp. dicit, & morbos quos hę autumni & æstatis constitutiones & quibus hominibus facere consueuerunt enarrat, sed animaduerteudum est has autumni & æstatis tempestates de quibus Hypp. in hoc loco dicit tertio secto aphoris. ab Hypp. nō recensēri, quod propter idem breuitatis studium de quo paulò supra dixi ab eo factum esse credo, nam cum in libris aphoriss. quasdam breues & vniuersales regulas nobis tradere voluerit, ex iis quæ ipse in eo libro de anni temporibus dicit, facile quos nam morbos hæ duæ tēpestates de quibus ipse in hoc loco agit facere possint coniectari possumus, at cum in hoc libro de aere particulatim sibi agendum esse proposuisset, copiosius de cœli tempestatibus dicere voluit, inquit igitur si autumnus & æstas pluuiosa

sa & auſtralia fuerint, hyemem quæ huic autumno ſuccedit morboſam fore, ita vt ij qui quadrageſimum annum egere ardẽtibus febribus laborabunt, bilioſos vero lateris dolorẽs & pulmonum inflammationes vexabunt, ſed cum æſtas & autumnus pluuioſa & auſtralia fuerint, cur morbi illi qui in his cœli conſtitutionibus fiunt hyeme, non autem æſtate & autumno Hypp. fieri dicit? An quod corpora æſtate & autumno perflatũ habent quo fit vt humores difficulter putreſcant? præterea æſtatis feruor & autumni ſiccitas à pluuia obtunduntur, adeo vt inflãmationes concitare non valeant, at hyeme cum propter naturalem cœli frigiditatem corpora conſtringantur, humores perflatum non habent, ideoque putreſcunt & ardentes febres faciunt, eas ardentes ſcilicet quæ ex ſalſa pituita fiunt, nam cum corpora propter prædictas cœli tempeſtates pituita abundent, & cum perflatum nõ habeat in caleſcit fitque ſalſa & putreſcit. Sed cur ij qui quadrageſimum annum excedunt in prædictis cœli conſtitutionibus ardente febre laborant? An Hypp. his verbis eos qui in primo ſenio ſunt ſignificare voluit? hi enim calidum innatum non ita feruidum habent vt iuuenes, ideoque plus pituitę gignũt quam iuuenes, neque innatum calorem ita imbecillẽ habent quin pituitam illam qua abundant inflammare non valeant & ardentem febrem facere, cum eorum corpora perflatum non habent, bilioſi vero hyeme quæ huic æſtati ſuccedit & huic autumno lateris dolore & pulmonum inflammatione laborant, quod bile abundent quæ tenuis & calida eſt, ideoque exiles venas quę in latere ſunt pertranſire poteſt & lateris dolorem facere, cumque perflatum non habet ſtatim putrefit & pulmonum inflammationes concitat, quod hoc membrum laxum & ſpongioſum ſit & facile fluxus in ſe recipiat & ſuo continuo motu eos ad ſe alliciat.

Si autem eſtas ſqualida & aquilonaris ſit, autumnus vero pluuius & auſtralis, hyeme capitis dolores & cerebri corruptiones fieri probabile eſt, & prẽterea raucedines & grauedines, non nullis vero tabes.

Proſequitur Hypp. enarrare morbos quos conſtitutiones temporum anni quæ præter naturam ſunt facere conſueuerunt, & ait ſi vero æſtas ſicca & aquilonia fuerit, autumnus autem

tem pluuius & auſtralis, hyeme quæ his duobus anni temporibus ſuccedit capitis dolores & cerebri corruptiones fore probabile eſt, & præterea raucedines, grauedines, tuſſes & non nullis tabes quoque, cauſas autem cur in his tempeſtatibus hi morbi quos Hypp. in hoc loco narrat fiant Gal. in commẽtario decimi tertij aphoriſ. tertij ſecti adducit, quas ſi quis ſcire deſiderat eum commentarium legat, non nullos vero in his tempeſtatibus tabidos fieri dicit, quod rarius in his tempeſtatibus hic morbus fiat quam alij quos hic Hypp. numerat, ideoque dicit *non nullis* vel quibuſdam, hi autem hoc morbo corripiuntur qui facile in hũc morbum incidere poſſunt, ſunt autem hi illi de quibus tertio de morbis vulgarib. Hypp. dicit tex. 70. Genus erat Tabidorum glabrum, ſubalbum, pituitoſum, ſubrubicundum, cęſium, leucophlegmatię, ac quibus ſcapulę in morem alarum prominebant, muliereſque, hos autẽ homines qui ſcapulas in morem alarum prominentes habent 6. de morbis vulgaribus tex. 18. Hypp. πτερυγόδας ideſt alatos appellauit & hi omnes tabi patẽt, animaduertẽdũ eſt in omnibus codicibus grẽcis qui impreſſi sũt & 13. aphor. tertij ſecti etiam legi ἐνίοις δὲ χαὶ φθίσιας, quę verba ſi verbum verbo reddatur ſignificãt, nõ nullis vero & tabes, at in emẽdationibus illis de quibus ſæpius dixi nõ φθίσιας legitur ſed φύσιας quæ dictio flatus ſignificat, ſi igitur hanc ſcripturã probauerimus, ideo in his tẽpeſtatibus flatus fieri dicendũ eſt, quod corpora humore multo referta ſint, qui ab hyemis frigiditate in corporibus clauditur & hac de cauſa incaleſcit & flatus gignit, nec ſolũ hos affectus in his tẽpeſtatibus homines vexare dicit, ſed etiam cerebri corruptiones grẽce σφακέλους, ſignificat autem hæc vox σφακέλος corruptionem quacunque de cauſa ea fiat vt Gal. in libro illo quem de expoſitione linguarum Hypp. inſcribit affirmat, fit autẽ hic morbus à nimio humore qui in capite clauditur nec perflatũ habet propter hyemis frigiditatem, quamobrẽ putreſcit & acrior fit cerebrique ſubſtantiam corrumpit. Illud autem mirum videtur quod in expoſitione 13. aphoriſ. tertij ſecti Gal. dicit, videlicet Hyppoc. in hoc libro nullam harum tempeſtatũ de quibus in hoc tex. Hypp. loquitur mentionem facere, cum tamen in omnibus

bus codicibus græcis qui impreſſi ſunt & in iis quoque qui ſunt manuſcripti hę tempeſtates legantur. An in codicibus illis quos Gal. habuit hic tex. ſcriptus non erat? nam Hypp. libri vt in tertio commentario in tertium librum Hyppoc. de morbis vulgaribus in expoſitione 4. tex. Gal. dicit Hyppoc. libri infelices fuere, quidam enim ex ipſis diſſipati ſunt, alij vero aliquid ſcriptis Hypp. adiectum habent, quamobrem facile fieri potuit vt exemplar quod Gal. habuit hoc tex. careret, vel cum Gal. cōmentaria in Hypp. aphoriſſ. ſcripſit admodum iuuenis erat, eaque fecit nō vt illa æderet ſed vt ſe exerceret vt ipſemet in tractatu de propriis libris affirmat, quare fortaſſe negligentius hunc librum legerat & has tempeſtates de quibus in hoc tex. Hyppoc. dicit non animaduertit, vel earum oblitus eſt. Illud quoque notandum eſt in omnibus codicibus græcis qui impreſſi ſunt hæc verba legi videlicet ἢν δὲ ὁ χειμὼν βόρειος γένηται καὶ ξυρὸς τοδὲ ἦρ νότιον καὶ ἐπόμβρον καὶ τὰ τὸ θέρος ὀφθάλμιαι γίνονται ἰσχυραὶ, τόισι δὲ παισὶ, καὶ γινεξὶν πυρετοὶ quæ verba ſi verbum verbo reddatur hoc ſignificant videlicet, ſi vero hyems borealis & ſicca ſit, ver autem auſtrale & pluuium, æſtate lippitudines validæ, pueris vero & mulieribus febres fiunt, quæ verba manifeſtiſſime ſuperflua ſunt, paulo enim ſupra Hyppoc. de his tempeſtatibus copioſe egit quamobrem latinus interpres ea non exponit.

Si vero Borealis & inaquoſus & neque ſub Canem neque poſt Arcturum pluuius ſit, pituitoſis quidem & natura humidis & mulieribus maxime confert, hoc autem bilioſis inimiciſſimum eſt, valde namque reſiccantur, & lippitudines ſiccę & febres acutę & non nullis diuturnę, & inſanię ipſis fiunt, & enim quicquid bilis humidiſſimum & aquoſiſſimum eſt digeritur, craſſiſſimum vero & acerrimum relinquitur, & ſanguinis ſimiliter, & repente hi morbi ipſis fiunt, pituitoſis vero omnia hæc auxilio ſunt, reſiccantur enim & in hyemem perueniunt non humectati ſed reſiccati.

In hoc tex. Hyppoc. morbos illos enarrat qui in autumno aquilonari & inaquoſo qui æſtati eiuſdem temperamenti ſuccedat fieri conſueuerunt, adeo vt temperamentum æſtatis de quo in tex. qui hunc proxime antecedit Hyppoc. dixit, in hoc tex. idem eſſe intelligendum ſit, vt manifeſte declarant verba illa neque ſub Canem pluuius ſit, & enim cum Canis media

ferè

ferè ęstate oriatur principium est eius partis anni quam gręci ὥραν appellant de qua superius dixi, neque post arcturū quando autumni principium est pluat, quamobrem tota anni tempestas à medio æstatis vsque ad autumni principium squalida & sicca sit, quædam corpora bene, quædam vero male se habebunt, Est autem Arcturus sydus quoddam & stella quæ in cauda maioris vrsę posita est, sydus vero, Bootes, Arctophilax & Arcturus dicitur, & in septentrionali circulo situm est, at in hoc loco cū post Arcturum Hypp. dicit, sydus ipsum intelligere debemus, pituitosa corpora igitur & natura humentia vt mulieres sunt in hac cœli constitutione bene se habebunt, dixitque Hypp. pituitosa corpora & natura humentia, quoniam pituitosa corpora dici possunt ea quæ multis pituitosis excremētis referta sunt & si humidi natura non sint, vt corpora senum quæ frigida & sicca sunt & multis pituitosis excrementis abundant, dicuntur autem corpora humida ea quæ temperamentum humidum habent & si pituitosis excrementis referta non sunt, vt mulierum corpora, in hac cœli tępestate igitur omnia hęc corpora bene se habebunt, quod nimius humor qui in ipsis est & substantia quoque illorum quæ humidior est temperata resiccantur & ad hyemem non humecta sed resiccata perueniunt, quapropter non periclitantur ne cum à frigiditate hyemis corpora adstricta sunt, humores qui intra corpus sunt inclusi cum perflatum non habeant putrescant, vel alios morbos faciant quod ipsorum corpora vt dixi resiccata sint. Bilioſis vero hæc anni tempestas infestissima est, valde enim resiccantur, quamobrem siccis lippitudinibus, acutis febribus & diuturnis quoque, non nulli eorum & insania laborant. Sed qua nam ratione bilīosa corpora ab his morbis infestantur? quoniam sanguinis bilisque tenuiores ac humidiores partes consumūtur, remanent autē eę quæ terrenę & crassę sunt ac lippitudines siccas febresq; acutas cum inflammantur faciunt, non nullos vero diuturnę febres ideſt quartanæ male habent, nam quartana ex adustis humoribus fit, sed multo plures acutę febres & siccę lippitudines quam diuturnę febres bilioſos homines vexāt, nam bilis humor tenuis est ideoque difficulter ad eam crassitiem redi-

ATENEO VENETO VENEZIA

gi poteſt vt ex ea quartanæ febres & inſania fiant, nam hi morbi ex craſſiſſimis humoribus fiunt. Animaduertere oportet vltima huius tex. verba in codicibus græcis impreſſis ita legi ἀπὸ ξηραίνονται γὰρ καὶ ἐς τὸν χειμῶνα ἀφικνέονται ὑπ' ἄλλων τ' ἐ, ἄλλα ἀναξηραινόμενοι quæ verba ſi verbum verbo reddatur hęc ſignificant, videlicet exiccantur enim & ad hyemem perueniunt ab aliis in alia reſiccati, ſi igitur hanc ſcripturam probauerimus dicendum eſt hanc cœli tempeſtatem pituitoſis idoneam eſſe quod ab aliis ideſt à caliditate & ſiccitate æſtatis in aliam caliditatem & ſiccitatem autumni ſcilicet ad hyemem reſiccati perueniunt. At in emendationibus illis de quibus pluries dixi ea verba ὑπ' ἄλλων τ' ἐς ἄλλα non leguntur ſed pro illis hæc vox legitur οὐ πλαδώντες ἀλλ' videlicet non humectati, ſed reſiccati ad hyemem perueniunt, quam ſcripturam latinus interpręs probat & melior videtur.

Si quis igitur ſecundum hęc contemplabitur & conſiderabit, plurima eorum quę à mutationibus futura ſunt pręcognoſcet.

Cum quaſdam è cœli tempeſtatibus & morbos quos ipſę facere ſolent Hyppoc. enumeraſſet, nunc perorat & ait, ſi quis hac methodo & via cœli tempeſtates contemplabitur & conſiderabit, morbos qui à mutationibus fieri conſueuerunt prę cognoſcet, illoſque prædicere poterit, viderat enim Hypp. vt Gal. in commentario 14. aphoriſ. tertij ſecti affirmat, ſe non omnes cœli tempeſtates enarraſſe ſed minimam eorum partem, ex iis tamen quę ipſe de illis dixit quos morbos reliquę facturę ſint prænoſcere atque prædicere poterit, quod ſibi gloriæ & ægrotis vtilitati erit, quoniam audentius medico ſe committent, quamobrem Hypp. texx. primo & ſecundo prognoſticorum nihil perinde medico conducere quam vt prudentem ſe pręſtet dicit, ſi enim ægris pręterita & pręſentia quæ æger ommiſit & futura prædixerit, nihil quod ęgris vſui fuerit ignorare putabitur, quo fiet vt audentius homines medico ſe committant.

Maxime vero maximas horarum mutationes cauere oportet, neque medicamentum libenter dare, neque ea quę circa ventrem ſunt vrere vel ſecare antequam decem dies vel etiam plures prætereant, maxime vero ſunt decem.

Cum

Cum de variis cœli tempestatibus Hypp. dixerit, nunc quasdam obseruationes nos docet quas magnæ cœli mutationes desiderant, & inquit nos magnas cœli mutationes cauere debere videlicet solstitia & æquinoctia, præterea etiam magnas aeris mutationes quæ in cęteris anni partibus fiunt, vt cum subitus trãsitus à magno frigore in magnum calorem fit vel è conuerso, sed qua nam ratione hæc medicos obseruare oportet? ita vt medicamentum purgans hominibus facile non exhibeant, neque membra quæ circa ventres sunt vrant vel secent, nam omne medicamentum purgãs calidum & venenosum est, ideoq; his anni temporibus nõ est exhibendum vt paulò inferius probabo, in locis vero qui circa ventres sunt principia membra continentur vt iecur, cor, & cerebrum, quamobrem nec vri nec secari his temporibus debent. Sed cur prædictis temporibus omnia hæc quæ Hyppoc. dicit facere nõ oportet? quod his temporibus magnæ cœli mutationes fiunt quæ omnes periculosę sunt, à purgantibus medi camẽtis & abustionibus atque sectionibus magnę corporum mutationes fiunt, quæ si addantur illis aeris mutationibus à quibus etiam corpora nostra alterantur, nimis hominum corpora periclitarentur, vt Hypp. 51. aphoris. tertij secti & Gal. etiam in commentario in eundem aphoris. dixere. Præterea à propria natura corpora dimouere difficile ac periculosum est, sed in antedictis horarum mutationibus corpora à propria natura remouentur, ideo aliis mutationibus non sunt vexanda ne periculum augeatur. Corpora autem nostra in his cœli mutationibus à natura sua dimoueri manifestum est, nã circa ęquinoctium hominum corpora frigiditati assueta sunt & ad calidum mutantur, at circa solstitium æstiuum corpora humana moderatę caliditati assueta sunt & ad magnũ æstum transeunt, at consuetudo acquisitia quædam natura est vt Galen. antiquorum testimonio vsus tertio de simplicium medicamentorum facultatibus, secundo de motu masculorum, & in commentario in eum librum Hypp. qui de iis quæ in medica trina fiunt inscribitur, affirmat, Quintus Curtius quoque consuetudinem natura potentiorem esse dixit.

Et periculosissima ambo solstitia sunt, & magis æstiuum, & quę existimantur esse ambo æquinoctia, magis vero autumnalia.

Comparat Hyppoc. in hoc tex. anni tempora ad inuicem & inquit, ex his anni temporibus ambo solstitia periculosa, sed longe periculosius esse æstiuum solstitium quam brumam, tũc enim nimio humore quem corpora hominum hyeme genuere ipsa referta sunt qui vere quod temperatum est digeri non potuit, qui facile ab eius temporis feruore incendi & moueri ac febres alioſque morbos facere potest, ex æquinoctiis vero autumnale longe periculosius est quam vernum, nam autumnale corpora debiliora excipit quam vernum, æstas enim corpora suo nimio feruore debilitat, hyems vero corpora firmat, quamobrem vernum æquinoctium corpora firmiora excipit quam autumnale, quæ ideo morbis minus patent, quò fit vt vernum æquinoctium minus periculosum sit quam autumnale, præterea autumnus inæqualis est & mane ac vesperi frigus, meridie vero æstus est, quæ inęqualitas morbos facere consueuit, multi etiam humores bilioſi in æstate geniti sũt, qui propter autumni vespertinam & matutinam frigiditatẽ perflatũ habere non possunt, sed intra corpus clauduntur & inflammantur & multos morbos facere possunt, at vere cum ipsum temperatum sit humores perflatum habent, ideoque difficulter incenduntur, præsertim cum frigidi sint quod hyeme sint geniti, corpora quoque firma sunt, ideoque morbis minus sunt obnoxia, ea autem verba tex. considerandа sunt videlicet & quæ existimantur esse ambo æquinoctia, quę ita interpręta oportet, videlicet & ambo æquinoctia quę periculosa esse existimantur, magis vero periculosa sunt autumnalia æquinoctia quam verna.

Astrorum vero ortus obseruare opus est & maxime Canis, deinde Arcturi atque pleiadum occasum, morbi enim in illis diebus maxime iudicantur, & hi quidem interficiunt, hi vero finiuntur, alia vero omnia ad aliam formam & ad aliam conditionem transeunt, circa quidem hęc sic se res habet.

Superius Hyppocr. præceperat vt anni temporum principia & fines obseruaremus, nunc docet nos qua ratione hæc anni temporum principia & fines cognoscere valeamus, & inquit nos ea dignoscere debere ab obseruatione mundani

ortus

ortus & mundani occasus stellarum & syderum videlicet Canis & Arcturi mundanum ortum, vergiliarum autem mundanum ortum & occasum obseruando, nam cum mundane vergiliæ oriuntur æstatis principium est, cum aũt canis mundane oritur eius anni pars quam græci ὥραν appellant medium est & oporæ principium, tuncque maximi æstus sunt, cum aũt Arcturus siue Bootes siue Arctophilax mũdane oritur autumni principium est, cum autem Vergiliæ mundane occidunt hyems incipit vt Gal. in commentario in 14.aphor. tertij secti & in commentario suo primo in primum librum Hypp.de morbis vulgaribus affirmat. De his syderibus & stellis & quando Florentiæ mundane oriuntur abunde superius dixi, nam circa principia & fines temporum anni pleriq; morbi iudicantur, & si salubres sint finiuntur, si vero lęthales homines tollunt, quidam autem nisi finiuntur vel interficiunt ad aliam formam transeunt, nã erraticæ febres & longæ transeunt ad quartanas, & morbi si mitiores fuerint in meliorem statum mutantur licet non desinant, si vero maligniores ad peiorem statum transeunt, quoniam vt tempora anni mutantur, ita animantium corpora ab eadem anni temporum mutatione alterantur & longe magis ægra corpora quam sana quod sanis imbecilliora sint.

CAPVT SEPTIMVM.

VOLO *autem de Asia & de Europa dicere vt differunt inter se in omnibus, & de gentium figuris quid ab inuicem distant, & nihil inuicem similes sunt.*

E tribus habitabilis terræ partibus Asia scilicet Europa & Aphrica de duabus videlicet Asia & Europa velle se dicere Hypp. in principio huius capitis proponit, quod de locis in hoc libro ipsi agendum est, quamobrem prius in vniuersum de locis ipsis dixit vt ventis patent & cœli plagas spectant, nunc autem vnum locum & vnam prouinciam cum alia confert, vt ostendat ea in quibus ab inuicem differunt & quę nam ex ipsis aliis præstet, nihil autem de Aphrica dicit vel quod Europa oriundus erat licet Asiam incoleret, nam in Coo in-

sula natus erat, quæ inter Asię insulas numeratur quod in Icario mari sita est, & Europam & Asiã peregrinatus erat, quamobrem harum prouinciarum naturam, situs, hominum mores & eorum temperamenta nouerat, nõ autem Aphricę, ipse autem de iis quæ comperta habebat tantum agere voluit vt in tex. qui huic proxime succedit ipsemet affirmat, vel etiam quod ex his quę ipsę de iis duabus prouinciis dixit ea quę ad Aphricam pertinent intelligi possunt, aut idem de hoc dicere possumus quod Galen. in commentario suo in 14. aphoris. tertij secti dicit, cum quærit cur Hypp. in eo lib. de paucis admodum cœli tempestatibus dixerit cum plurimę sint *dicere non habeo*, Asiam igitur ab Europa Tanais fluuius & Męotis palus, ab Aphrica vero Nilus fluuius vel vt Ptolęmeo placet Arabicus sinus disterminat, Europam vero ab Aphrica mare mediterraneum diuidit, quia igitur medicus omnia ea quæ tractat in hominum sanitatem veluti in finem suum dirigit, quam moliri nequit nisi prius hominum naturam nouerit, ideo Hypp. dicit velle se de harum prouinciarum differentiis dicere, nam vt paulò inferius ipse probabit diuersitas prouinciarum, hominum quoquę diuersas naturas & diuersa temperamenta facit, præsertim si nihil simile inter se habeant, de quibus se maxime agere velle ipse dicit.

De omnibus quidem igitur longus esset sermo, quapropter de maximis, & de iis quę plurimum differunt vt se habere mihi videntur dico.

Cum in tex. qui hunc proxime antecedit Hyppoc. dixisset, velle se de Asia & de Europa dicere vt vna ab alia differt & de gentium figuris quid ab inuicem distent & nullo pacto similes sunt, quoniam hę duæ prouinciæ plurimas & magnas regiones continent, è quibus quædã maxime differunt, quędam vero parum, & ex illis quædam magnæ regiones non nullæ vero paruæ sunt, si quis de omnibus particulatim agere vellet in immensum oratio excresceret, ideo Hypp. in hoc tex. dicit vt lõgitudinem vitet de iis quæ maxima in his duabus regionibus sunt & de illis quæ in ipsis sunt ac plurimum inter se differũt velle se dicere vt sibi se habere videntur, idest quænam diuersitatis illius causę sunt vt ipse arbitratur, quod breuitatis studium fortasse causa etiam fuit vt ipse de Aphri-

ca

ca nihil dixerit, sed ex iis quæ ipse de Asia & Europa dixit ea etiã quę ad Aphricã pertinẽt intelligi voluit vt superius dixi.

Asiam ab Europa plurimum distare dico in omnium naturis, & eorum quę è terra oriuntur & hominum, nam multo pulchriora & maiora omnia in Asia fiunt, regioque regione mitior, & hominum genera magis mansueta & benefica.

Cum Hyppoc. de Asia & de Europa velle se dicere propo suisset, in quibus hę duæ prouinciæ ab inuicem differunt, nũc illas ad inuicem comparat & inquit Asiam Europam plurimum in omnibus superare, nam omnia ea quę è terra nascuntur lõge pulchriora & maiora in Asia quam in Europa fiunt, homines quoq; maiores & pulchriores in Asia quã in Europa sunt, Asiatica quoque regio mitior & tẽperatior quam Europęa est, & hominum genera quæ in Asia sunt magis mansueta & benefica sunt quam Europęa. Sed hic animaduertendum est in omnibus codicibus græcis qui impressi sunt vltima huius tex. verba ita legi καὶ τὰ ἤθεα τῶν ἀνθρώπων ἡπιώτερα καὶ ἐνεργότερα, quæ verba si verbum verbo reddatur significant, & hominum genera mansuetiora & strenuiora vel elaboratiora vel cultiora, at in emendationibus illis de quibus iam pluries dixi vltima huius tex. vox non ἐνεργότερα, sed ἐνεργετικώτερα legitur quę vox magis benefica significat, quę lectio magis probãda videtur, siquidem paulò inferius Asiaticos molles non autem strenuos esse Hypp. dicit. Id quoque notandum est, ea quę hic Hypp. dicit non de tota Asia intelligenda esse, sed de quadam eius parte de qua Hypp. ipse paulò inferius dicet quęnam ea sit.

Causa autem horum, temperatura horarum, quoniam in medio orientis solis ad auroram sita est, à frigore longius, incrementum verò & mansuetudinem maxime omnium prębet, quando nihil violenter superat, sed omnibus æqualitas pręest,

Cum in tex. qui hunc proxime antecedit Hypp. probasset Asiam longe meliorem regionem esse, Europa, quod omnia ea quæ è terra gignuntur multo maiora & pulchriora sunt iis quę in Europa oriuntur, & homines quoque Asiatici benigniores & mansuetiores sunt hominibus Europęis, nunc rationem reddit cur hęc omnia in Asia pulchriora ac meliora

sint iis quę in Europa nascuntur,& inquit, hæc id eo fieri quia Asia magis temperata quam Europa est,quod autem Asia magis quam Europa temperata sit à situ Asiæ probat, nam Asia orientem solem respicit vernum scilicet qui inter æstiuum & hybernum medius est, etenim inter situm Asiæ & orientem solem nihil est medium,quod impedire possit quin sol statim cum exoritur Asiam non illustret, nec solum cum sol oritur Asiam illuminat, sed cum primo lucescere incipit Asia clarificatur, quapropter Hypp. dixit Asiam in medio orientis solis ad Auroram sitam esse, ideoque etiam lõge à frigore,idest temperatam esse, mentionemque frigoris tantum fecit,quoniam & si ea regio temperata est, attamen calor magis quam frigus in ea viget licet nõ multum calor frigus in ea superet, quia igitur Asia magis quam Europa temperata est, ideo ea quæ in Asia gignuntur magis temperata sunt quam ea quę in Europa nascuntur, nam locus & ea quæ in loco degunt proportione sibi respondent, cum igitur ea quæ in Asia fiunt magis tẽperata sint quam ea quæ in Europa oriuntur,ideo Asiatica Europeis maiora & pulchriora sunt, nam temperatura ad pulchritudinem & incrementum rerum maxime confert, temperata enim corpora omnes suas operationes sine culpa habent, quamobrem & maxime crescere & pulchriora fieri possunt,nam vt in ventriculo vsu venit scilicet vt ventriculus frigidus melius quam calidus appetat, attamen male concoquit & eam actionem vitiatam habet, quamobrem corpus nõ bene nutriri potest, quod succus qui in eo gignitur è quò corpus nutriri debet non bene coctus est, calidus autem stomachus & si melius cõcoquit quam frigidus peius tamen quam frigidus appetit,& eam actionem inculpatam non habet, temperans vero licet peius quam frigidus appetat nec ita bene vt calidus coquat,tamen & apperitum & coctionem inculpatas habet,& ideo succus qui in eo gignitur corpus optime nutrire potest,ita cętęra omnia quæ temperata sunt licet ab iis quę à temperatura recedunt in aliquibus superentur, attamen nõ ita ab illis superantur quin actiones suas inculpatas non habeant vt ea quæ à temperatura recedunt, quæ & si temperata corpora in aliquibus superẽt reliquas suas actiones sine culpa

non

non habent,quamobrem merito dixit Hypp.æqualitatem ad incrementū maxime conferre, & quia ipſe in hoc loco non loquitur de exquiſita ęqualitate ideo dixit,æqualitatē ad incrementum maxime conferre cum vnū cętera violenter non excellit & ſuperat,hęc eadem cauſa temperamentum ſcilicet homines manſuetos & benignos facit,ſiquidem in temperata regione temperati homines gignuntur,ideoque manſueti,ac benigni,ſiquidem animi mores corporis temperamētum comitantur,vt in libello illo quod animi mores corporis temperamenta comitantur Gal. optime probat,cum ergo in Aſia temperata hominum corpora ſint, ipſi quoque temperantes erūt & propterea manſueti ac benigni.

Habet autem per Aſiam non vbique ſimiliter,ſed quicquid regionis in medio calidi & frigidi ſitum eſt,hoc fructuoſiſſimū & arboribus refertiſſimum ac maxime tranquillum eſt, & optimis aquis vtitur, tum iis quę ex ęthere tum iis quæ è terra ſunt, non enim à calido valde exuritur nec à ſqualoribus & aquarum inopia reſiccatur, nec violatur à frigore.

Superius dixi Hypp.non affirmare totā Aſiam Europa fœliciorem eſſe, ſed intelligendum eſſe illum de quadam Aſiæ parte hanc ſententiam ferre, id quod ex his verbis quæ ipſe ſtatim ſubdit manifeſte intelligi poteſt, inquit enim rem non ſimiliter ſe habere vt ipſe dixit in vniuerſa Aſia,ſed in ea illius regionis parte quę in medio calidi & frigidi eſt,hæc enim fructuoſiſſima arboribus ac plantis refertiſſima & maxime tranquilla eſt. At quę nā Aſię pars hęc eſt?ea per quam quartum Clima tranſit vel Zona illa quæ per Cnidum & Coum inſulā trāſit,& per loca illa quę his Inſulis & Rhodo vicina ſunt,nec multum ab ipſis Auſtrum vel Boream verſus recedūt vt Gal. in cōmentario ſuo in 14.aphoriſ.tertij ſecti affirmat,diciturq; hoc Clima vel Zona pararellus per Rhodum quod per Rhodum Inſulam tranſit. Hæc itaq; regio temperata eſt, ideoque vt ſuperius Hyppoc.probauit longe abundantior ac fœlicior Europa eſt,quoniā neque à cœli feruore neq; à ſqualore exuritur ac reſiccatur & aquis abūdat, nec à frigore violatur,nec ſolum hæc regio cœli tepore fouetur verum etiam optimis aquis vtitur tum pluuiis tum iis etiam quæ è terra ſcaturiunt vt fontanæ aquæ ſunt,nam in his regionibus tempeſtiuæ pluuiæ

uiæ nec nimis largę nec procelloſæ fiũt, fontanas vero aquas quę orientem ſolem ſpectant opt. eſſe ſuperius Hypp. probauit, ideo autem in hac regione hæc omnia quæ Hyppoc. dicit, fiunt, quoniam ea temperata eſt vt ſuperius Hypp. dixit. Animaduertere autem oportet in omnibus codicibus gręcis impreſſis hæc verba huius tex. ita legi ἄυτη μὲν εὐκαρποτάτη ἔϛιν εὐδενδροτάτη καὶ εὐδιϛάτη καὶ ὕδαϲι μάλιϲα κέχρηται quę verba ſi in latinũ ſermonem transferantur ſignificant, hęc quidem fructuoſiſſima eſt & arboribus refertiſſima ac maxime tranquilla & aquis maxime vtitur, at in emendationibus quę ad me Patauio miſſæ fuere vltima horum verborum ita leguntur καὶ ὕδαϲι καλλίϲοις κέχρηται, quę verba ſi verbum verbo reddatur ſignificant, & optimis aquis vtitur, quam ſcripturam ego magis probo. Prętera in omnibus codicibus græcis qui impreſſi ſunt hæc verba huius tex. ita leguntur ὔυτε ὑπὸ ἀυχμῶν, καὶ ανυδρίης αναξηραίνεται ὔυτε ὑπὸ ψύχεως βεβιαϲμένη, quæ verba ſignificant, nec à ſqualoribus & aquarum penuria reſiccatur neque violatur à frigore, at in prædictis emendationibus vltima verba ita leguntur ὔυτε ὑπὸ ψύχεως πέπεται, quę verba ſignificant neque à frigore coquitur ideſt adeo reſiccatur vt à vi frigoris omnis humor ab ea exprimatur, quæ ſcripturæ ambæ probari poſſunt mihi vero prima ſcriptura magis probatur.

Et auſtrale ac madidum eſt à multis imbribus & à niue, horarioſque fructus multos inibi fieri veriſimile eſt, quicumque è ſeminibus & quaſcumque plantas terra ipſa porrigit quarum fructibus homines vtuntur, cum eas domeſticas faciunt & tranſplantata.

Cum Hypp. dixiſſet hanc Aſiæ partem quam ipſe tantopere laudat temperatę caliditatis, ſiccitatis, frigiditatis eſſe, nullam autem mentionem humiditatis feciſſet in hoc tex. rationem reddit cur hæc regio moderate humida ſit, & ait duabus de cauſis eam temperatę humiditatis eſſe, è quibus vna eſt, quod ipſa ab Auſtris perflatur qui vẽtus humidus eſt vt experientia docet & ex 5. aphoriſ. tertij ſecti colligitur & Galen. in commentario ſuo in illum aphoriſ. opt. probat, ideo autem Auſtris hæc regio perflatur, quod à meridie boream verſus non multum recedit, altera eſt quia hæc Aſiæ pars à multis

im-

imbribus & à niue humectatur, nam quemadmodum hæc regio ab Austro Boream versus non multum recedit, ita à Borea Austrum versus non tantum recedit quin in ea commode & pluere & ningere & à temperata pluuia & niue terra madefieri non possit, cum igitur ea humida sit, fruges vero & legumina, plantę quoque tum syluestres tum domesticæ, & earum fructus humido alantur, multas plantas multosque fructus ac plurima cerealia semina in hac regione fieri necesse est, nam omnia hæc sicuti animantia ab iisdem rebus nutriuntur ex quibus etiam gignuntur.

Iumenta quoque quę nutriuntur bene degere verisimile est, & maxime sępissimeque parere & optime nutricari, homineſque bene nutritos & forma pulcherrimos & magnitudine maximos, & formis atque magnitudinibus minime differre, & regionem hanc veri natura & moderatione proximam esse probabile est.

Eadem ratione qua hæc Asiæ pars cerealibus omnibus seminibus fugacibusque fructibus abundat videlicet quia temperata est, iumenta quoque quæ in ea nutriuntur bene degere, idest maxima, sana & magna esse verisimile est, sæpissimeque parere partusque optime educare, homines quoque hac eadem de causa bene nutritos idest quadratos & maximos formaque pulcherrimos esse, nec magnitudine ab inuicem differentes, & cum Hyppoc. hic dicit homines maximos esse, dictum suum intelligendum est vt homines maximi sint secundum vnamquamque dimensionem longitudinem scilicet latitudinem & profunditatem, nam si vna dimensio alias nimis superaret pulcherrimi esse non possent, vt si longissimi ac tenuissimi, vel breuissimi & crassissimi essent, cæterum si secundum vnamquamque dimensionem magni sunt pulcherrimi esse possunt, si partes corporis eorum proportione sibi respondeant & debitos sibi colores habeant, nec multum magnitudine & figura inter se differre possunt, siquidem actiones eorum similes sunt, quia omnes sunt sine culpa quod à tẽperata natura fiũt, quæ omnes actiones inculpatas habet vt dixi, quia igitur ortus ipsorum à natura temperata est, ideo sibi inuicem similes gignuntur, secus enim si nimis ab inuicem differrent opus esset vt in aliquibus membris vitium haberẽt

quo

quo à temperatis differrent, vel vt homines in hac regione temperati non essent quod in regione temperata fieri nõ pos se superius probaui, sæpissimeque eius regionis pecora parere, partusque bene educare credendum est, siquidem alimentis abundant & bene nutriuntur, quamobrem semen copiosum habent, & cum actiones omnes inculpatas habeãt eorum mulieres facile cõcipere & bene parere partusque optime nutricari necesse est. Animaduertendum hic quoque est in codicibus græcis impressis hęc verba tex. ita legi τίκτειν τε πυκνότατα, καὶ ἐκτρέφειν κάλλιστα quę verba significant sepissimeque parere & optime alere, at in prędictis emẽdationibus legitur ἐυτρέφειν quod significat bene alere, ambę hę scripturę probari possunt, sed si legamus ἐυτρέφειν quod significat bene alere male videtur poni dictio illa κάλλιστα, nam tunc verba Hyppoc. significarent bene alere optime, quod incongruum videtur, ideo prima scriptura magis probanda est. Demum Hypp. perorat & inquit hanc regionem natura & moderatione veri quod eo modo quo superius dixi temperatum est, similem esse, cum orientem solem spectet nec ad Austrum vel Boream nimis vergat & animantia omnia ac plantæ in ea bene se habeant.

Fortitudinem vero, non defatigari, laborum patientiam, & iracundiam nequaquam tali naturę innasci potest, neque indigenam neque alienigenam, sed voluptatem obtinere, quapropter multiformes ferarum partus gignuntur. De Aegyptiis igitur & Aphris res ita se habere mihi videtur.

Corporum temperaturis animi mores comitantur, vt superius ex Gal. dixi, cum igitur Asiatici corpora bene temperata habeant, ideo mores quoque bonos & inculpatos necessariò habent, quapropter neque nimis audaces neque indefessi & iracundi sunt, quoniam sicuti eorum corpora ita temperata sunt vt vna qualitas, alias non multum superet, ita mores eorum modera i non autem egregij sunt, siue ipsi Asiatici & indigenę sint siue alienigenę qui tamen Asiam incolant, & hucusque circa ipsorum mores bene res haberet, cętęrum voluptas ad quam cœli clementia & rerũ copia illos inuitant, eorum animos obtinet, eosque molles delicatiores & timidiores efficit quam opus est. Adde eorum instituta & viuendi ra-

tionem

tionem quæ eos timidos ac molles facere apta nata sunt vt in ferius Hypp. probabit, quo fit vt ferę diuersorum generum à vehementi voluptate concitatę simul concumbant & multiformes partus ædant, & illud idem voluptatis vehementia in Asia facit quod in Aphrica aquarum penuria, qua fit vt circa flumina, varia ferarum genera conueniant simulque concumbant variasque partuum figuras ædant, vnde vulgare illud ac tritum prouerbium est Aphricam semper aliquid noui afferre, quod in Lybia hoc frequentius quam in Asia fiat ratione iam dicta. Subdit deinde Hypp. de Aegyptiis & Afris rem ita se habere sibi videri, ac si in principio huius capitis de Aegypto ac Lybia sibi dicendum esse proposuisset, vel in hoc capite de Aegypto ac Lybia eorumque populis dixisset, cum de his ne verbum quidem dixerit, nec possunt hæc verba accomodari capiti illi quod huic proxime succedit ac si hæc verba principium illius capitis essent, iisque verbis ipse proponeret ea de quibus in illo capite dicere vellet, nam in eo capite de Asia dicere prosequitur, præterea cum Hypp. proponit ea de quibus in aliquo capite agere vult non ita loquitur, sed hoc modo dicit videlicet, volo autem de Asia dicere, cum autem iam egit de iis de quibus agere voluit ipse dicere consueuit, & de iis res ita se habet, vt dixit cum de fontanis aquis egerat. Multa à nonnullis de hac re dicuntur & multo plura fortasse dici possent, quæ mihi verisimilia non videntur, ideo dico eodem malo librorum Hypp. fato de quo superius ex Galen. dixi hæc verba quæ Hypp. non sunt in hunc librum irrepsisse, sed alicuius verba sunt qui illa inter Hypp. verba interposuit veluti glossam quandam qua significare bonus ille vir voluerit iisdem rationibus & causis quas Hyppoc. dixit in Asia effectus illos facere, iisdem inquam posse de Aegypto & Aphrica dici effectus illos Asiaticis similes qui in illis duabus prouinciis fiunt fieri posse.

CAPVT OCTAVVM.

DE iis vero qui ad dextram hyberni ortus solis vsque ad Mœotidem paludem sunt, hic. n. Europę & Asię terminus est, sic de ipsis res se habet.

Cum

Cum Hypp. de ea parte Asiæ quę temperata est & vernum orientem spectat, dixisset, nunc ad dicendum aggreditur de illa Asiæ, parte quæ à temperata septentrionem versus recedit,& inquit eam ad dextram hyberni ortus solis esse,hybernus ortus solis iis qui septentrionalem plagam incolunt meridiem versus est, si igitur hi populi in Boreali plaga degunt hybernus solis ortus in meridionali plaga est, quomodo igitur ad dextrā hyberni ortus erunt? si occidentē solē spectent, ad sinixtram suam meridiem vbi hybernus solis ortus est, ad dextram vero borealem plagam habebunt? in qua omnes illi qui à temperata Zona boream versus recedunt, habitant vsq; ad Tanaim & ad Mœotidem paludem qui Asiæ & Europæ fines sunt, inquit igitur Hypp. hos populos ad dextram Hyberni ortus esse quia habent illum in sinixtra sui parte,& cum ab eo discedunt Boream versus vbi habitant dextrorsum procedunt, de his populis igitur rem ita se habere Hyppoc.dicit vt ipse inferius declarabit.

Hæ autem gentes,hic ipse à se ipsis magis differunt quam eę quę prænarratę sunt, propter horarum mutationes regionisque naturam.

Cum de iis qui temperatam Asiæ partem incolunt Hypp. dixisset ac deinde proposuisset velle se de ea Asiæ parte dicere quæ à temperata Boream versus recedit, nunc differentiam narrat quæ est inter incolas temperatæ partis Asiæ & illos qui Asiam habitant quæ ad Boream vergit vsque ad paludem Mœotidem, & inquit has gentes quæ hanc regionem obtinent longe magis inter se differre quam illæ quæ temperatam Asię partem habitant, quam differentiam frequentiores ac maiores cœli mutationes & varia natura ipsius regionis faciunt, nam longe magis diuersæ sunt & variæ inter se partes huius septentrionalis partis Asiæ quam sint partes Asiæ moderatæ, præterea longe magis frequentes ac vehementes aeris mutationes sunt in hac Boreali Asia quam in media ac temperata, quæ causę differentiarum sunt quæ inter incolas huius regionis existunt, quare autem cœli mutationes frequentes & magnę regionisque inęqualitas diuersitatem hominum ipsorumque figurarum & morum faciant paulò inferius Hyppoc. demonstrabit.

Habet

Habet autem & circa terram similiter, quę & circa alios homines, vbicumque enim horę maximas mutationes ac frequentissimas faciunt ibi regio asperrima & maxime inæqualis est, montesque plurimos & asperos & planicies ac prata esse inuenies, vbi vero horæ non magnopere differunt, ibi regio maxime æqualis est, sic vero & circa homines res se habet si quis animaduertere vult, quędam enim naturę montibus siluosis & siticulosis, nonnulli vero subtilibus & aquosis, quædam vero pinguioribus & paluſtribus, alię autem planiciebus nudis ac siccis similes, horę enim quę formę naturam mutant differentes sunt, si vero à se ipsis diuersę sint, differentię quoque plures formarum fiunt.

Cum in tex. qui hunc proxime antecedit Hyppoc. dixisset asiaticos homines qui Borealem Asię partem incolunt magis à se ipsis differre quam illi qui temperatã ac mediam eius prouincię partẽ habitant & huius differentię causam esse horarum anni mutationes & regionis naturam, nunc ad hoc probandum aggreditur, & primo supponit rem circa terrã & homines similiter se habere, nam & terram & homines à cœli magnis mutationibus afficiuntur, & ait rem circa terram & circa alios homines similiter se habere, ideſt circa homines alios ab illis qui regionem temperatam incolunt de qua ipse paulò supra dixit, & quamuis illi qui temperatam regionem habitant à regionis natura & eius aere afficiãtur, tamen quia regio æqualis est & cœli mutationes paruę ac rarę, ideo magnas incolarum differentias non faciunt, minusque apparent effectus illi quos regio & cœlum efficiunt quam in regionibus quę à temperata recedunt. Ea vero quę circa terram sunt similiter se habere iis quę sunt circa homines experiẽtia Hyppoc. probat, vbicumque enim magnę & frequentes cœli mutationes fiunt ibi regiones asperrimę & inęquales sunt, nam in ipsis montes sunt plurimi & asperrimi, planitiesque & prata, vbi vero anni tempestates non magnopere differunt, regiones quoque maxime æquales sunt, quamobrem magnę ac frequentes cœli mutationes regiones inęquales faciunt, at regiones inęquales, homines quoque inter se differentes reddunt, quapropter homines qui montes habitant asperi, sicci & feri sunt, & ita mõtibus siluosis & siticulosis natura similes existunt, alij vero graciles & humidi sunt sicuti regio quam ipsi incolunt tenuis & aquosa est, nonnulli vero obęsi & tumidi

ATENEO VENETO VENEZIA

midi sunt quod regio quam ipsi habitant paluſtris & craſſa exiſtit, alij autem ſicci ſunt quod ſiccas & nudas planities habitant, quamobrem regiones homines afficiunt & ſibi ſimiles illos reddunt, ambo autem ideſt regionem & homines magnæ & frequentes cœli mutationes mutant, quæ quoniam diuerſæ inter ſe ſunt ideo magnarum quoque hominum & regionum differentias & inęqualitates faciunt, at quanam ratione id faciant paulò inferius Hyppoc. probabit vt ſuperius dixi.

Et gentes quæcumque parum inter ſe differunt ommittam, quæ vero multum natura vel inſtitutis de ipſis dicam vt ſe habent, & primum de iis qui longa capita habent, nulla enim gens eſt quæ capita his ſimilia habeant, nam principio inſtitutum longitudinis capitis maxima cauſa fuit, nunc autem & natura inſtituto ſuffragatur, & enim longiſſima capita habentes generoſiſſimos exiſtimant.

Quia horarum mutationes terrę & hominum differentias magnę quidem & frequentes magnas mutationes, paruæ autem paruas mutationes faciunt, ideo Hypp. breuitati ſtudens inquit, velle ſe gentes illas quę parum inter ſe differunt ommittere, de iis vero quæ inſtitutis & natura multum inter ſe diſtant vt ſe habeant ideſt cauſam cur ita differentes ſint ſe dicturum eſſe promittit, è quibus primum ipſe de his qui longa capita habent qui græcis μακροκέφαλοι dicuntur velle ſe agere dicit, nam huius gentis capita ab aliorum hominum capitibus magnopere differunt, adeo vt nulla gens ſit inquit Hypp. qui capita huius gentis capitibus ſimilia habeant, longiſſima enim capita habent, eoſque nobiliſſimos eſſe arbitrantur quibus longiſſimum caput eſt, quò fit vt arte & inſtituto quodam ſtatim cum infans naſcebatur ligamentis quibuſdã de quibus in tex. qui huic proxime ſuccedit Hypp. dicet caput ei longiſſimum facere nitebantur, quo factum eſt vt natura paulò poſt capita longiſſima iis qui naſcebantur etiã abſq; arte faceret. Macrocephali igitur Themiſcyram regionem incolunt quę Cappadocię pars eſt vt Plinius 4. cap. ſexti libri naturalis hyſt. & Ptolęmeus in prima Aſię, Tabula affirmant, hodie vero hæc Cappadocię pars Siniro dicitur, animaduertendum tamen eſt hanc vocem Themiſcyram non ſolum regionem

gionem quę Cappadocię pars est significare, sed etiam oppidum quoddam quod in Cappadocia situm est vt idem Plinius tertio cap.6.libri naturalis hyst. dicit.

De instituto autem sic se res habet, cum puerulus natus est caput ipsius quod adhuc molle ac tenerum est statim manibus effingunt & in longum augeri cogunt, ligamenta & idonea artificia adhibentes, à quibus rotundum capitis vitiatur, longitudo vero augetur. Sic primo institutum operatum est vt vi talis natura fieret.

Quia in tex. qui hunc proxime antecedit ideo Macrocephalos longissima capita habere Hypp. dixerat, quod hi qui longissima capita habēt nobilissimi ab illis existimantur, quāobrem eos primo institutis curasse vt homines longissima capita haberēt, in hoc tex. qua nam ratione institutis capita longa fierent ostendit, & inquit cum pueruli nascūtur, capita eorum quæ tenera & mollia sunt statim manibus in longum effingunt ac ligamenta quędā & machinamenta adhibent quibus rotunditas capitis vitiatur, longitudo autem augetur, sicque institutum primo effecit vt vi talis natura capitis fieret. Vbi animaduertendum est in omnibus impressis gręcis codicibus sic legi αὐτὸς τὴν ἀρχὴν ὁ νόμος κατεργάσατο quę verba si in latinum sermonem transferantur significant, ipsum institutum primo effecit, at in emendationibus prędictis legitur οὕτως τὴν ἀρχὴν ὁ νόμος κατεργάσατο, quę verba significāt sic primo institutum effecit, quam scripturam ego magis probo, nam cum Hypp. narrasset modū quo hęc gens capita puerulorum cum nuper nati sunt longa efficerent, statim infert, sic institutum effecit &c. Præterea vltima huius tex. verba in codicibus gręcis qui impressi sunt ita leguntur ὥστε τοιαύτην τὴν φύσιν γενέσθαι, quę verba significant vt talis natura fieret, verum in ępius prædictis emendationibus ita legitur ὥστε ὑπὸ βίης τοιαύτην τὴν φύσιν γενέσθαι, quę verba significant vt vi talis natura fieret, quæ scriptura magis probanda videtur, nam à principio capita ita formata non erant, sed à manuum & machinarum vi ita longa facta fuere.

Tempore vero procedente naturalia facta sunt, adeo vt institutum non amplius cogat.

Dixerat superius Hypp. velle se de gentibus dicere quæ in stitutis vel natura multum inter se differunt, cũ igitur de Macrocephalis dixisset quod capita habeant diuersa à capitibus aliarum gentium adeo vt nulla gens sit quę capita Macrocephalis similia habeant & ostendit quomodo instituto longa capita fiant, nunc transit ad ostendendum qua de causa temporis progressu absque machinamentorum vi Macrocephali cum nascuntur longa capita habeant & inquit.

Genitura enim ab omnibus corporis partibus venit, à salubribus salubris à morbidis morbida, si igitur ex caluis calui & ex Cæsiis Cęsii & ex deprauatis deprauati plerumque fiunt, & circa alias species eadem ratio quid prohibet ex Macrocephalis Macrocephalos gigni?

In tex. qui hunc proxime antecedit Macrocephalos iam sine machinis & arte Macrocephalos nasci Hypp. dixit, at in hoc tex. rationem reddit cur Macrocephali naturaliter idest sine aliqua arte Macrocephali nascuntur, ideoque hoc fieri dicit quoniam genitura ab omnibus corporis animantium partibus secedit, à salubribus quidem salubris à morbidis vero morbida, quod autem res ita se habeat experimẽtis Hypp. probat, & inquit ex caluis calui fiunt & ex cęsiis cæsij, est autem cæsius color oculorum, dicunturque cæsij oculi noctuarum & leonum & demum ex deprauatis deprauatos fieri plerumque videmus, nam opera & effectus naturales plerumque fiunt, quod non solum in his quæ Hypp. narrat fieri videmus, sed etiam in omnibus aliis qualitatibus, vt filij parentibus similes oriantur, quod nulla alia ratione fieri posse videtur, nisi quia genitura ab illis partibus parentum secedit quæ his qualitatibus affectę sunt, quamobrem nil mirum si ex Macrocephalis Macrocephali nascuntur quod pars seminis à capite parentum quod ita affectũ est secedat, nec solum filij parentibus similes oriuntur in iis quę a natura parentibus insunt, sed etiam in illis quæ parentes extrinsecus habent vt in Macrocephalis fieri videmus, qui cum ab arte non à natura primum Macrocephali facti sint, filios postea absque aliqua arte Macrocephalos gignunt, præterea ij qui in aliquo membro cicatricem vel maculam habent filios quoque habẽtes in eodem membro in quo pater cicatricem habebat cicatricem vel ma

culam

culam patris cicatrici vel maculæ ſimilem gignere, quod ea de cauſa fit quam dixi, ſcilicet quod genitura à ſingulis corporum animātium partibus ſecedat, quam opinionem Ariſt. 15. probl. quarti ſecti habere videtur. Si igitur verba Hypp. quæ in hoc loco ab eo dicuntur & Ariſt. in prædicto probl. ita intelligamus vt ab vnaquaque corporis animantium parte, pars ſeminis actu ſecedat primum Ariſt. ſibi ipſi non conſtat nam cap. 18. primi libri de generatione animalium firmiſſimis argumentis hanc ſententiam Ariſt. reprobat, quibus argumentis reſpondere opus eſt illi qui hanc ſententiam tueri velit, quod mihi difficillimum videtur, quæ argumenta ſi quis videre vult cap. prædictum legat, non enim illa in hunc locum transferre volui ne librum è libro facere videar, ſed ad prædictum locum lectorem remitto, ideo crediderim verba quæ Hypp. in hoc loco dicit & Ariſt. in 15. probl. ita interpretanda eſſe, vt ſemen ab omnibus corporis animantiū partibus ſecedere dicatur quod in eo rationes omnium mēbrorum animalis in potentia ſunt, quoniam ſemen eſt vtile excrementum totius alimenti animalium. At vero quia Ariſtot. problemata ſcripſit nobilibus ac militibus Alex. ideo vſus eſt eo modo loquendi, quia ea opinio ſcilicet vt ſemen ab omnibus corporis animantiū partibus ſecederet antiqua & peruolgata erat, ideo vt facilius ab omnibus intelligeretur, eo modo loquendi vſus eſt, qui etiam eſt verus ſi prædicto modo intelligatur.

In preſentia vero non amplius vt prius ſimiliter fiunt, inſtitutum enim propter hominum negligentiam non amplius prævalet. De his quidem igitur res ſic ſe habere mihi videtur.

Cum ex Macrocephalis Macrocephalos gigni Hypp. probaſſet, quia hoc primū nō à natura ſed ab arte fiebat, qui effectus propter conſuetudinem ad naturalem effectum tranſibat, tempore autem Hypp. populi illi non ita lōgis capitibus oriebantur vt prius, ideo Hypp. quaſi tacitæ obiectioni reſpondens ait eius regionis homines non ita longis capitibus eſſe vt prius erant, quoniam inſtitutum illud manibus effingendi ac ligandi capita vt longiora fierent propter hominum negligentiam ommiſſum eſt, & ſoli naturæ relinquitur vt ca-

pita effingat,cum autem è duobus quæ capita longa efficiunt instituto scilicet & natura alterum videlicet institutum quod primum capitis longitudinem effecit derelictum sit, nil mirum si eius regionis incolæ capita non ita longa habent vti prius habebant. Vbi animaduertendum est artem instituta & consuetudinem naturam non mutare sed eã afficere & ornare, numquam enim ars vel consuetudo vel institutum facient vt homo equs fiat vel planta animans, sed si res soli naturæ relinquatur rudes & agrestes effectus faciet,si vero arte, consuetudine ac bonis institutis res naturales excolantur,animantium & plantarum corpora vegetiora, animi vero longe mansuetiores fiunt, plantæ quoque si colantur magis fructiferę eorũque fructus maiores atq; suauiores fiunt quã essent nisi cultę fuissent, quamobrẽ antiqui poetę cum Pan rudem illum deum fingebant naturam intelligebant, cum autem Mercurium omnium ornamentorum deum describebant artem significabant, quæ naturæ ipsius ornamentum est, quapropter & si homines naturaliter non ita longis capitibus oriantur vt Macrocephali oriuntur, attamen ab arte instituto & consuetudine caput ita afficitur vt deinde etiam sine arte longius fiat quam capita aliorum hominum sint, caput tamen est & vsum capitis partesque habet. Deinde Hypp. quia sermonem suum ad alios homines dirigere volebat,ideo perorat & inquit de iis idest de Macrocephalis rem ita se habere sibi videri vt dixit.

De illis vero qui circa Phasim habitant, regio illa palustris & calida & aquosa & densa est, imbresque illic toto anni tempore multi ac vehementes fiunt, vitaque hominibus in paludibus est, domiciliaque lignea & arundinea in aquis fabricata habent, nec multa deambulatione per vrbem & emporium vtuntur, sed nauiculis ex vno ligno confectis sursum ac deorsum pernauigant, aqueductus enim multi sunt.

Cum Hypp. de Macrocephalis egisset,qui capitis figura ab aliis hominibus longe differunt vt dictum est, nunc ad eos transit qui circa phasim fluuium habitãt,qui inferiorem Colchidis partem interluit maximumque flumen est vt ex Plinij quarto cap. sexti libri hyst. naturalis colligitur, & Strabo secundo libro suæ geographiæ affirmat, huius enim regionis

incolæ

incolæ Macrocephalis vicini sunt, & ab aliis hominibus moribus, totius corporis habitu ac voce longe distant, cuius differentiæ regionis qualitas ac situs incolarumque victus causa est, inquit igitur regionem hanc paluſtrem, calidam, aquosam, densam ideſt multis arboribus refertam esse, totoque anno sæpissime ac large in ea pluere, & hæc de qualitatibus ac situ regionis quæ quales homines faciant paulò post Hypp. dicet, nunc vero de ratione victus horum hominum Hyppoc. agit, & ait huius regionis habitatores vitam in paludibus degere in quibus tabernacula & domicilia lignea & arundinea construunt quas habitant, præterea nulla ferè exercitatione vtuntur, nec per vrbes & emporia deambulant, sed nauiculis quibusdam ex vnico ligno fabrefactis totam regionē pernauigant, quod commode facere possunt, si quidem regio paluſtris & aquosa est, quamobrem aquas quocumque volunt facile deriuare possunt, & multos aqueductus facere per quos nauiculis totam regionem commode permeare valent.

Aquas vero calidas & ſtagnantes bibunt, quę à ſole putrefiunt & ab imbribus augentur, ipſeque Phaſis omnium fluminum ſtagnantiſſimus, ac lentiſſime currens eſt.

Cum Hypp. in tex. qui hunc proxime antecedit victum eorum qui circa Phasim fluuium habitant quo ad motū & quietem enarrasset, nunc prosequitur eorumdem victum enarrare quoad aquas quas ipsi bibunt, & ait ipsos stagnantes & calidas aquas bibere, calidas quidem æstate quod à sole calefiunt, & putrescunt, ab imbribus vero augentur, nam cum regio illa aquosa & paluſtris sit, eius incolæ iis aquis abundant, præsertim cum Phasis flumen lentissimo cursu currat ad eo vt stare videatur, & eius aqua ferè stagnans sit quæ aquæ quid prestare possint superius vidimus.

Et fructus qui illic naſcuntur omnes inſalubres & molles imperfectique propter magnam aquę copiam ſunt, quapropter non coquuntur, aerque multus ab aquis regionem obtinet.

Quoniam fructuum qualitates regionis temperamentum indicant & homines ipsis vescuntur, ideo ad eorum victum pertinent, hac de causa Hypp. in hoc tex. de fructibus agit & inquit fructus omnes qui in regione nascūtur quæ circa Pha-

sim flumen sita est insalubres & molles ideſt flaccidos & insipidos imperfectosque esse ideſt qui numquam perfecte maturantur,& licet omnes fugaces fructus de quibus hic Hypp.loquitur mali succi sint vt secundo de alimentis Gal. probauit, attamen hi qui in prędicta regione nascuntur longe peiores, insalubrioresque sunt illis qui in aliis regionibus oriuntur, eo quod propter aquæ copiã ea regio nimis humida sit, adeo vt calor naturalis plantarum nimium illum humorem coquere & in fructuum alimentum mutare non valeat,quò fit vt ipsi flaccidi insipidi ac numquam perfecte maturi sint, præsertim cum vapores multi & crassi qui à palustribus illis aquis attolluntur aerem eius regionis caliginosum & crassum reddant, qui difficulter à sole calefieri & expurgari potest,& ideo plantarum humiditatem auget,quę omnes effectus quos Hypp.in hoc loco narrat in plantis eorumque fructibus facere valet. Verum si sapor humidi est vt secundo de anima Arist.probauit quomodo ergo humor fructus insipidos reddit? an sapor humidi cocti & maturi est non autem crudi & aquosi? vt est humor fructuum qui in hac regione oriuntur, qui cum multus & aquosus sit à calore coqui non potest vt dictum est, vel cum Arist. dicit saporem humidi esse, dictum eius ita interpretari opus est videlicet ad hoc vt aliqua res actu sapida fiat eam humefacere oportet in quem vsum nobis natura saliuã dedit, haud secus ac videmus dum fullones pannum in aqua purgant pannum illud aquam colore suo afficere, ita corpus siccum si sapidum fieri debet, opus est vt saliuam quæ illud humectat sapore suo afficiat & ita sapor eius sentiatur,non autem opus est vt corpus illud humidum sit, cũ videamus multa sicca corpora vt aromata omnia sunt, quæ sũt sapidissima. Superius Homeri & Gal. testimonius vsus demonstraui antiquos cum aerem dicebant caliginosum,turbidum & crassum significare,cum autem clarum,tenuem & serenum significare volebant Aethera dicebant, cum igitur Hypp.hic dicat aerq; multus &c. crassum & caliginosum aerem significat. Animaduertendum est in codicibus græcis qui impressi sunt legi καὶ ποιγενομένοι αὐτέοι &c. quæ verba significant fructus ipsi qui fiunt, at in multoties dictis emendationibus non αὐτέοι legi

quæ

quæ vox ipſi ſignificat ſed αὐτόθι quæ vox illic ſignificat quæ lectio melior videtur eamque latinus interpres probat.

Propter has ſanè cauſas, ſpecies ab aliis hominibus diuerſas Phaſiani habent, magnitudinibus enim magni craſſitudinibus vero valde craſſi, articulumque nullum euidens neque venam & colorem ſub pallidum habent vt illi qui morbo regio detinentur.

Propoſuerat ſuperius Hypp. velle ſe de magnis hominum differentiis qui Aſiam incolunt dicere, quas differentias ratio victus qua ipſi vtuntur & temperamẽtum regionis quam ipſi habitant facere conſueuerunt, hucuſque de temperamento regionis quam Phaſiani incolunt & de ratione victus qua ipſi vtuntur Hypp. dixit, præſertim de aquis quas ipſi bibunt ac de exercitatione, eoſque raro & parum ſe exercere & paluſtres aquas bibere affirmauit, nunc ad dicendum aggreditur quas nam corporum formas hæc duo faciant, & inquit Phaſianorum corpora magna & craſſa eſſe, obtuſoſque & obſcuros articulos ac venas habere, coloreque ſub pallido eſſe vt illi ſunt qui regio morbo laborant, quæ omnia in ipſis à nimio humore fiunt quò corpora eorum abundant, ſiquidem eius regionis aer craſſus & nubiloſus eſt vt vidimus, regio autem aquoſa, quæ duo humorem multiplicare apta nata ſunt, cum autem non exerceantur calor naturalis eorum non ventilatur nec excitatur, quamobrem nimium illum humorem in halitum digerere vel in ſanguinem mutare non valet, quo fit vt ipſe concreſcat & pinguedo fiat, à quà articuli & venæ obſcuræ redduntur, eorumque color ſub pallidus fit quod meatus illi per quos ſanguis à bile expurgari deberet à cruditatibus obſtructi ſunt quo fit vt bilis in totum corporis habitum pituitæ admixta redundet & colorem ſub pallidum faciat, qui color paleę eſt, ſimiliſque colori illi quem ij habent qui regio morbo laborant. Animaduertendum tamen eſt hunc locum aliter in codicibus græcis impreſſis legi & aliter in prædictis correctionibus, in codicibus enim impreſſis legitur χροιὴν ὠχρὴν ἔχουσι quę verba ſignificant colorem pallidum habent, at in prædictis correctionibus legitur χροιὴν ὑπωχρον ἔχουσιν, quæ verba ſignificant colorem ſubpallidum habent, quæ lectio mihi magis placet, nam pallidus co-

lor albus est, subpallidus vero color est ex albo & flauo mixtus, res tamen parui refert.

Grauissimeque omnium hominum loquuntur, cum cœlo non sereno vtantur, sed austrino & turbido.

Superius, cum Hypp. de paluſtribus aquis dixit, eos qui illas bibunt grauiter loqui affirmauit, cuius rei causam nos ibi reddidimus, eodem igitur pacto quo aqua paluſtris aer quoque turbidus crassusque vocem grauem facit, cum igitur Phasiani paluſtres aquas bibant & sub cœlo turbido & crasso degant, nil mirum si grauissime omnium hominum loquuntur, cum duæ causæ, quæ vocis grauitatem facere valent in ipsis simul coeant. Illud scire opus est locum illum dupliciter legi videlicet ὑφι χρούμενοι οὐ λαμπρῷ ἀλλὰ χλυῶ ὡδητὲ καὶ διεζῷ, quæ verba significant cum cœlo non sereno vtantur sed pluuerulento vel lanuginoso & humido vel sereno, nam ambo hæc significat vox illa διεζῷ, alio modo legitur videlicet νοτώδη καὶ θολεζῷ, quæ verba significant austrino & turbido, quam lectionem magis probo quod ab Aequiuoco longius distat.

Adfatigandumque corpore ignauiores natura sunt, annique tempora ad æstum & frigus non multum mutantur, venti quoque multi Australes præter vnum indigenam, hic vero interdum vehemens difficilis & calidus spirat & Cenchona hunc ventum nominant, Boreas autem non valde ad illos peruenit, cum autem spirat imbecillis ac lenis est. De natura quidem & differentia & forma eorum qui in Asia & Europa sunt sic habet.

Prosequitur Hypp. in hoc tex. de moribus Phasianorum nos docere cum superius de corporum figura & de eorum hominum voce dixerit, & inquit eos non admodum ad labores promptos esse, quod ibi tempora anni non multum mutantur, adeo vt vnum aliis multo calidius vel frigidius sit, cur autem hæc horarum anni æqualitas homines segnes & ignauos faciat paulò inferius Hypp. probabit. Præterea alia causa est quæ eius regionis incolas pigros facit, hęc autem est Austri qui in ea regione sæpius spirant, qui humidi sunt vt Hypp. 5. aphoris. tertij secti probauit, hi enim eius regionis cœlum humefaciunt, quod deinde homines humectat ac segnes facit, præsertim cum illum non vehementer flare probabile

babile sit, nam statim Hypp. subdit Austros multos flare, sed vnum eius regionis indigenam calidum ac violentum & difficilem spirare, adeo vt vehementiam huius vnius venti quem Cenchona Phasiani appellant propriam esse Hypp. voluerit, sed qui nam hic ventus sit & vnde spiret nihil Hypp. dicit, Australis neque Borealis esse non potest, nam Boreas raro & imbecillis ac lenis ad eam regionem peruenit, à situ tamen regionis argumentari possumus ventum hunc occidentalem esse, nam regio hæc ab orientalibus ventis à montibus qui ipsi ab oriente sunt defenditur, occidentalibus autem ventis patet quos calidos esse Hypp. affirmat, quod ideo fieri credo quod vehementes sint & sua vehementia humiditatem cœli eius regionis calefaciat & ferè incendat, cum eam consumere nequeat quod crassa multa & densa sit. Perorat demum Hyppoc. & inquit de natura forma & differentia illorum qui Asiam & Europam incolunt rem ita se habere vt ipse dixit.

CAPVT NONVM.

De timiditate vero & mollitie hominum, quoniam rei bellicæ Asiatici Europeis magis ignari sunt moribusque mansuetiores, anni tempora maxime causæ, magnas mutationes neque ad calidum, neque ad frigidum facientes, veri similes sunt.

Cum superius Hypp. dixisset illos qui temperatam Asiæ partem incolunt quod voluptatibus dediti sint ignauos esse, eos vero qui circa Phasim fluuium habitant propter regionis naturam quam incolunt & propter victus rationem qua ipsi vtuntur pigros & imbelles esse, nequis crederet eos qui mediam Asiæ partem habitant, ideo timidos & segnes esse quia voluptatibus dediti sunt regionisque naturam nihil ad hoc conferre, ideo in præsentia ostendit eos nõ solum à voluptatibus verumetiam à natura regionis quam incolũt tales fieri. De Macrocephalorum vero moribus nihil dixit, quoniam eorum mores ab aliorum hominum moribus non multum differunt, ipse autem non de omnibus Asiaticorum hominum differentiis velle se dicere affirmauit, sed de illis differentiis quæ maxime sunt inter Asiaticos homines & Europęos & inter

ter ipsos Asiaticos inter seſe quibus differentiis ab aliis homi nibus ipsi differunt, quamobrem de macrocephalorum capitis figura solum dixit, quoniã illa ipsorum propria est ipsaq; ab omnibus aliis hominibus differunt, hac de causa etiam de his tribus Asiæ populis dixit, reliquos vero tacuit quod non admodum inter seſe & ab Europęis hominibus differant, inquit igitur Asiaticos homines timidos ac molles esse, reique bellicę magis ignaros moribusque mansuetiores Europęis esse, quod in temperata Asiæ parte anni tempora à frigido ad calidum neque à calido ad frigidum neque ab humido ad siccum neque à sicco ad humidum magnas mutationes non faciunt, sed sibi ipsis & veri vt ipse superius dixit similes sunt, cur autem cœli mutationes si paruę homines timidos ac segnes si vero magnę fuerint homines feros iracundos audaceſque faciant paulò inferius ipse dicet.

Non enim animi perculsiones fiunt, neque corporis validus transitus, à quibus excandeſcentiam exasperari probabile est, cogitationisque & iracundiæ, magis participes esse quam ij qui in eodem ſtatu ſemper sunt.

Ideo inquit Hypp. cum anni tempora magnas mutationes neque ad calidum neque ad frigidum non faciunt, homines timidi imbelles ac mansueti sunt, quia tunc animi perculsiones ipsis non fiunt, neque excandeſcentia exasperatur neque cogitationis & iracundiæ participes sunt, neque validus corporis transitus fit, quoniam in eodẽ ſtatu ſemper permanent, at illi qui regionem incolunt in quibus primarum qualitatum magnæ mutationes in aere fiunt & excandeſcentia exasperatur & iracundiæ & cogitationis magis participes sunt, cur autem hęc fiant in tex. qui huic proxime succedit videbimus, in hoc loco autem animaduertendum est Hypp. dicere homines qui regionem habitant in quibus magnæ cœli mutationes fiunt cogitationis & iracundiæ magis participes esse, nam cum ira sit accensio sanguinis circa cor propter appetitum recontriſtationis magis hic sanguis accenditur in iis regionibus quam in illis in quibus magnę aeris mutationes nõ fiunt, ideoque magis illi quam hi iracundi sunt, cum igitur in iracũdia sanguis circa cor accẽdatur eo quod illi qui irascuntur recontriſtationem appetant ideſt vt triſtitiam & ægritudinem

dinem illam quam ex iniuria quę illis in lata fuerit concepere in alium reponant, appetitus vero nõ sit nisi earum rerum quæ cognoscuntur, necesse est eos qui ad iram prompti sunt, promptos quoque esse ad cogitationem & considerationem tristitiæ & ægritudinis quam ipsi ex iniuria quæ ipsis in lata fuerit concepere, quamobrem Hypp. recte dixit eos qui regiones habitant in quibus magnę cœli mutationes fiunt cogitationis & iracundiæ magis participes esse, cogitationis inquit idest tristitiæ quam ex in lata sibi ipsis iniuria in se concepere, eamque in alium reponere cupiunt, qua de causa sanguis circa cor ipsis acccenditur, cumque habitatores regionum in quibus magnę aeris mutationes non fiunt animi perculsiones nõ fiant validus quoque corporis transitus à calido ad frigidum & à frigido ad calidum neque ab humido ad siccum & è conuerso non fit, nam eadem causa vt videbimus animum perculit & corpus mutat. Varie autem hic tex. legitur nam primo hæc pars tex. ἀφ' ὅτων εἰκὸς &c. in impressis codicibus ita vt nunc dixi legitur, significant autem hæc verba à quibuscumque verisimile &c. alio pacto legitur videlicet ἀφ' ὧν εἰκὸς &c. quæ verba significant à quibus verisimile &c. quæ lectio magis probatur, quoniam iis quæ prius Hypp. dixit melius respondet, dixerat enim Hypp. in regionibus in quibus magnæ cœli mutationes non fiunt neque animi perculsiones neque corporis validos transitus fieri, à quibus verisimile est &c. & paulò inferius in impressis codicibus legitur καὶ τοῦ γνώμονος καὶ θερμοῦ, quę verba significant & cogitationis & calidi &c. alio modo hic locus legitur videlicet καὶ τοῦ γνώμονος καὶ θυμιάσεως, quæ verba significant & cogitationis & iracundiæ &c. quę lectio mihi melior videtur licet parui referat quamlibet harum lectionum probare.

Mutationes enim omnium sunt quę mentem hominis excitantes eam quiescere non sinunt, his de causis Asiaticum genus molle esse mihi videtur.

Cum Hyppoc. paulò supra sępius dixisset temporum anni magnas mutationes, excandescentiam exasperare & homines feros facere, quod hæ mutationes animum percutiant & corpus valide mutent, nunc ostendit modum & causam qua hæ mutationes prædictos effectus faciant, se priusquam Hypp. sen-

sententiam declarem scire opus est, primam huius tex. partem dupliciter legi, nam in impressis codicibus græcis legitur αἱ γὰρ μεταβολαὶ εἰσὶ τῶν πάντων ἀεὶ τε ἐγείρουσι τὴν γνώμην τοῦ ἀνθρώπου καὶ οὐκ ἐῶσι ἀτρεμίζειν, quæ verba si verbum verbo reddatur significant, mutationes enim sunt omnium semperque hominis mentem excitant nec sinunt quiescere, alio pacto legitur hæc pars tex. in prædictis correctionibus videlicet αἱ γὰρ μεταβολαὶ εἰσὶ τῶν πάντων αἳ ἐπεγείρουσι τὴν γνώμην τῶν ἀνθρώπων οὐκ ἐῶσι ἀτρεμίζειν, quæ verba significant mutationes enim omnium sunt quę hominũ mentes excitantes quiescere non sinunt, quæ lectio mihi magis placet quoniam clarior est, inquit igitur Hypp. magnas aeris mutationes maxime omniũ mentes hominum cõcitant, quę licet à multis aliis causis excitẽtur tamen à magnis cœli mutationibus plusquã à cętęris omnibus causis excitantur, quo fit vt nec quiescere nec stare possint, vt aũt Hypp. sentẽtia melius intelligatur meminisse opus est eorum quę Gal. dicit in fine eius libri qui inscribitur quod animi mores temperamentum corporis sęquntur, videlicet animam siue mortalis siue immortalis sit sanitati corporis ancillari, cum ergo corpus mutatur animum quoq; mutari necesse est, magnę ergo aeris mutationes calorẽ naturalẽ augent, quia illum mouent, motus vero suapte natura calidum auget vt flammam cum ventilatur augeri videmus, ideo homines qui regiones incolunt in quibus magnæ cœli mutationes fiunt magis iracundi & feri sunt quam illi qui temperatas regiones habitãt, quoniam eorum calor semper ventilatur nec vnquam quiescit ideoque augetur, adeo vt sanguis qui circa cor est sæpe ac facile accendatur, & quia hominis anima motibus corporis vt dictum est ancillatur, ideo in prædictis regionibus homines feris & asperis moribus sunt, at vero quia in regionibus tranquillis calor non excitatur, ideo homines mansueti ac molles in illis sunt vt flammam cum non ventilatur minui & ferè pœnitus extingui videmus, quibus de causis Asiaticum hominum genus molle esse affirmat vt sua fert opinio & quemadmodum rem sic se habere videmus.

Et prę-

Et præterea propter leges, plurimę enim Asię partes sub regibus degunt, vbi autem homines ipsi sibi ipsis principes non sunt nec propriis legibus viuunt verum sub dominis sunt, ibi de hoc ipsis cura non est vt quomodo bella exerceant, sed ne bellatores videantur, pericula enim similia non sunt.

Sicuti superius cum de incolis temperatæ regionis Asię & de iis qui circa Phasim flumen habitant formas corporum ipsorum & mores non solum à qualitate & situ regionū quas incolunt, sed etiam à ratione victus qua ipsi vtuntur fieri demonstrauerit, ita nunc cū de mollitie ac timiditate Asiaticorum hominum tractat, eas non solum à qualitatibus regionum quas incolunt sed etiam à ratione vitę quam viuunt fieri ostendit, & ait hāc hominum Asiaticorum mollitiem ac timiditatem à legibus quoque fieri, nam ipsi vt plurimum sub regibus viuunt quibus parent, vbi autem homines sibi ipsis non imperant nec propriis legibus viuunt, sed alius ipsis dominatur non curant vt fortes ac bellatores videantur, quoniam pericula ipsorum & eorum qui ipsis dominantur simila non sunt, nam longe maiora ac plura pericula illi subeunt quam ij qui ipsis dominantur, hi enim longe meliores ac valentiores equos æquitant quam illi qui ipsis parent, satelliti-bus stipati sunt qui ipsos defendant, longe melioribus galeis loricis & ocreis muniuntur quam illi qui ipsis subiecti sunt, neque in prima acie stant sicut gregarij milites, quia ergo regum & populorum pericula in bello similia non sunt sed longe plura ac maiora sunt illa quæ populi subeūt quam ea quæ eorum domini adeunt, nil mirū si illi qui sub regibus viuunt timidiores sunt illis qui liberi ac propriis legibus viuunt, nec curant vt fortes & bellatores appareant, sed potius vt imbelles mollesque videantur vt pericula illa declinent, præsertim cum reges in castris vitam illam duram & asperam non viuant sicuti milites viuunt, adde reges sępissimę per legatos bella gerere, tuncque ipsi nullum periculum subeunt nec aliquo pacto laborant, sed domi sedent, populi vero qui in militiam proficiscuntur laborant, pericula subeunt, mortem oppetunt, vitam duram asperam & miseram viuunt, diuitiæ autem & imperia quę regibus subiecti laboribus periculisque suis acquisiere omnia regum sunt. Sed huic sententię Hypp.

multa

multa repugnare videntur,nam Perſę ſub Cyro rege bellicoſiſſimi fuere, Argyptij ſub Seſoſtre, Macedones ſub Philippo Amintæ & ſub Alex. Romani quoque ſub regibus ſtrenui ac bellatores fuere, Galli ſub Brenno eorum regem Romam cœpere,Vnni,Gothi,& Longobardi qui totam Italiam deuaſtarunt ac ſibi ſubiecerunt ſub regibus vixere, attamen bellicoſi, fortes & ſtrenui fuerunt. An hi populi omnes & ſi ſub regibus vixerint,conſilia,magiſtratus & collegia habebāt,adeo vt ipſorum regimen reip. potius quam regni vel principatus ſpeciem præſeferret,prędęque ſpe & quietis ducebantur quę inter milites diuidebātur,agros,villas domoſque incolarum regionum quas vincebant loco prędmij laborum ſuorum accipiebant, vbi deinde quietam vitam degebant,at Hypp.in hoc loco de his regibus ac populis nō loquitur,ſed de iis qui vulgo reges appellantur quibus cuncta redduntur, populi vero qui ipſis parent nullum honorem vel vtile in regno habent, & cum in militiam proficiſcuntur præmium nullum ſperant, vt multi reges & populi huius generis tempore Hypp.in Aſia erant, hos itaque populos timidos & imbelles neceſſario eſſe Hypp.dicit.

Hos quidem militare & fatigari veriſimile eſt, & neceſſario pro dominis mori,à filiis vxoribuſque & reliquis caris longe exiſtentes, & quęcũque vtilia & fortia operati fuerint, ab ipſis domini augentur & creſcunt, pericula vero & mortes ipſi aſſequuntur.

In tex.qui hunc proxime antecedit, ideo Aſiaticos homines imbelles Europęiſque timidiores ac molliores eſſe Hyppoc. dixit quod ſub regibus viuunt, at vero qui ſub regibus degunt pericula in bello ſubeunt nō ſimilia illis quę ſubeunt reges, nunc declarat quæ nam ſint pericula quæ ſubditi regibus in bello ſubeant & quę nam ſint prędmia quæ ipſi propter pericula & labores quos ipſi in bello ſubeunt adipiſcuntur, & inquit regibus ſubditos militare & fatigāri mortemq; pro dominis oppetere & à filiis, vxoribus, cognatis & denique ab omnibus caris diſcedere cogi,nec aliud aſſequi quam pericula labores & demum mortem ipſam, cōtra reges ipſos ab iis quæ illi qui ipſis ſubditi ſunt ſtrenue & fortiter in bello egere augeri & commoda ipſis creſcere, quia igitur peri-

cula

cula laboresque eorum qui regibus subiecti sunt longe plures maioresque sunt quam pericula & labores regum, præmia vero nulla, ideo nil mirum si Asiatici homines cum regibus pareant ne frustra periclitentur imbelles, timidos ac molles seipsos ostendunt magis quam reuera ipsi sint, cessit enim iam in tritum sermone prouerbium omnis labor optat præmium.

Præterea horum hominum terram ab hostibus & ocio desolari necesse est quapropter & si quis magnanimitas atque virilis natura sit, animum à legibus retrahi.

Quoddam corollariũ in hoc tex.nobis Hypp.dat videlicet Asiaticis illis qui sub regibus degunt,ideoque timidi molles & imbelles sunt hoc accidere vt eorum regio ab hostibus & ab ocio desoletur, ab hostibus quidem quia cum ipsi imbelles sint & molles audacter hostes eorum terram inuadunt ac deuastant,ab ocio autem quod præ mollitie atque ignauia in colę ipsam nõ colant neque fodiant nec arent, quo fit vt ipsa desoletur. Infert deinde Hypp.conclusionem hanc vt si quis in prædicta regione natura magnanimus, fortis, ac virilis sit à legibus quę in iis regionibus sunt retrahitur ac demittitur, quod leges earum regionum quę regibus parent commodis vtilitatibusque regum prospiciant, subditorum vero nullam vel minimam rationem habeant. Animaduertendum est in omnibus græcis codicibus qui impressi sunt quædam verba huius tex.ita legi ὑπὸ τε πολεμίων καὶ ἀργίης, quę verba significant ab hostibus & ocio,& hanc scripturam ego probo, Latini vero interprętes Cornarius scilicet & Adrianus legunt ὑπὸ τε ἀπολεμίων καὶ ἀργίης, quæ verba significant propter inertiam bellicam & ocium, quam lectionem si quis approbet hunc locum ita intelligere debet vt regio horum hominum qui sub regibus degunt, ideoque molles & effœminati sunt propter bellorum inertiam,& ocium relinquatur ac deserta fiat quod eam tueri & defendere & colere nequeant.

Magnum autem horum argumentum est, quicunque enim in Asia græci vel barbari sub dominis non viuunt, verum sui iuris sunt & ad se ipsos laborant, bi omnium bellicosissimi sunt, pericula enim propter seipsos subeunt & ipsi fortitudinis prędia & timiditatis pœnam similiter ferunt.

Asia-

Asiaticos homines timidos & imbelles esse quod sub regibus viuant signo Hypp. probat, inquit enim rem Asiaticorum ita se habere vt dixi indicant græci illi vel barbari qui Asiam incolunt & liberi suique iuris sunt, hi enim omnium sunt belicosissimi, ad se ipsos enim laborant & propter se ipsos pericula subeunt, nam prę̃mia fortitudinis ac timiditatis pœnam accipiunt, illinc & prę̃mij certa expectatio, hinc vero pœnæ formido ad virilitatem & fortitudinem hortatur, à timiditate vero & mollitie dehortatur, respublicę namque fortitudinem magis quam omnes alias virtutes præmiis prosequntur vt Arist. 5. probl. 27. secti affirmat, & huius consuetudinis hãc rationem adducit, ideo respublicas fortitudinem maxime honorare, non quod fortitudo præstantissima sit cętę̃rarum virtutum sed quia rebus publicis maxime necessaria est, & vnusquisque maxime omnium & desiderat & magnifacit ea quibus magis indiget non autem ea quæ vere meliora cętę̃ris sunt, vt pauper diuitias maxime appetit, quia ipsis indiget, & æger sanitatem desiderat, quod ea ipsi opus sit, quia igitur resp. vel aliis bella inferunt vel ipsis ab aliis inferuntur, in bello autem fortitudine maxime opus est, ideo eam resp. maximis præmiis & honoribus prosequntur, non quod ipsa cętę̃rarum virtutum princeps sit.

Inuenies autem & Asiaticos, ipsos à seipsis differentes, hos quidem meliores hos vero magis vitiosos existentes, horum autem, temporum anni mutationes causę sunt vt in prioribus dixi. Et de rebus Asiæ sic habet.

Cum de tribus tantum Asiæ populis Hypp. dixerit, videlicet de iis qui mediam & temperatam Asiæ partem incolunt, de Macrocephalis & de Phasianis, nunc in vniuersum de omnibus Asiæ populis agit, & inquit ex Asiæ populis inueniri plurimos qui inter se lõge differũt, nam de iis qui parũ inter se distãt dicere nolle prius dixerat, & ita inter se differunt vt alij cętę̃ris meliores alii vero cętę̃ris deteriores sint, videlicet timidiores & molliores vel magis generosi & fortiores aliis sint, & sic de aliis virtutibus & vitiis dicendum est, huiusque diuersitatis præcipuę causę sunt magnæ temporum anni mutationes eo modo quo superius dictum est. Vltimo Hypp. vt sui moris est perorat & dicit res Asiæ ita se habere vt dixit.

CAPVT

CAPVT DECIMVM.

IN Europa gens scythica est quæ circa paludem Męotidem habitat differens ab aliis gentibus, Sauromatæ vocantur.

Postquam Hypp. de Asiaticis hominibus dixit ostenditq; ea quibus ipsi a seipsis & ab aliis hominibus maxime differūt causasque earum differentiarū demonstrauit, nunc transit ad ad Europęos, è quibus primum agit de Scythis quoniam Scythæ ab aliis hominibus & à se ipsis plurimum differunt, omniaque declarat quibus ipsi à seipsis & à cęteris hominibus distant, dicitque in Europa gentem quandam esse quæ scythica appellatur quæ circa Męotidem paludē habitat & multum ab aliis gentibus distat, vbi animaduertēdum est hoc nomen Scytha græcis, omnibus septentrionalibus populis commune esse, vt Strabo 11. libro suæ geographiæ affirmat, adeo vt Germanos Scythas quoq; dici Plinius 12. cap. 4. libri hyst. naturalis affirmet, proprie tamen Scithę à Ptolęmeo & Pomponio Mela dicuntur ij qui Asiam extra vel intra Imaum montem incolunt, de quibus Hypp. hic non loquitur, sed de illis qui Europam habitāt, quos Sauromatas vel Sarmatas dici ipse affirmat, Sauromatas vero & Sarmatas eosdem populos esse Plinius 12. cap. 4. libri hyst. naturalis asserit, eos enim quos gręci Sauromatas dicunt latini Sarmatas appellant, quā quam hoc nomen Sauromata à latinis quoque receptum sit, quare Iuuenalis satyra secunda dixit, *Vltra Sauromatas fugere hinc libet & glacialem oceanum &c.* hodierna die Sarmatia Pollonia appellatur Męotis vero palus Mar delle Zabache.

Horum mulieres equitant & sagittant ac ex equis iaculantur & quousq; virgines sunt cum hostibus pugnant, neque earum virginitas libatur priusquam tres hostes interfecerint, nec viris prius cohabitant quam legittimas hostias sacrificauerint, si qua vero sibi maritum sumpserit ab equitatu quiescit nisi communis exercitus necessitas adueniat, dexteram autem papillam non habent, matres enim cum ipsę puellulę & infantes adhuc sunt æneum instrumentum vel in hunc vsum fabricatum ignitum facientes dexterę mamillę adhibent, adeo vt eius incrementum corrumpatur, in dexterum autem humerum & brachium robur ac magnitudo dedatur.

Superius Hypp. dixerat velle se de magnis differentiis quibus Asiatici homines a seipsis & ab Europęis distant dicere, cumque de Asiaticis dixisset & ad Europęos transiisset, primi Europęi de quibus ipse tractat Scythæ sunt, & primam differentiam qua ipsi ab aliis hominibus maxime differunt exponit eamque ab illorum mulieribus sumit, quas equitare, ex equis iaculari ac sagittare dicit, & quousque virgines sunt cum hostibus pugnare, nec nubere priusquam tres hostes interemerint, nec viris cohabitare nisi prius legittime sacrificauerint, & si qua earum sua sponte nupserit a bello & æquitatu quiescit, nisi necessitas cogat omnes in militiam proficisci, ideo autē dum puellulę infantes sunt, earum matres dexterā mamillam candenti ferro inurunt ne ipsa crescat, sed totum robur & augumentum ad dexterum humerum & brachium transeat vt illis duobus membris robustiores factæ sagittare iaculari & tela tractare validius ac fortius valeāt, quibus verbis Hypp. Amazonas describere videtur quas totū orbē pera grasse in eoque nouas vrbes, resp. & opt. leges cōdidisse Diodorus Siculus, Herodotus, Iustinus, ac Plinius authores sunt ad quos eos remittimus, qui pleniorem Amazonum notitiā habere desiderant, illud tantum lectorem monebo, sicuti duplices Scythæ sunt Asiatici & Europęi, Hypp. autem vt dixi hic de Scythis Europęis agit, itidem Asiaticæ & Europeę Amazones sunt, & de Europęis in hoc loco Hyppoc. tractat. Causam autem cur vsta mamilla dextera humerus & brachiū validiora fierent Hypp. esse dicit, quia alimentum quod ad mamillam dexteram nutricandam a natura per venas mittitur cum membrum illud vstum ideoque durum ac veluti calosum inuenit, per easdem venas ad membra illi vicina vt humerus & brachium dexterum sunt retrocedit illaque magis alit & firmat. Quæ nam autem legittimę hostiæ sunt quas Amazones immolare lege cogūtur antequam cum viris suis cohabitent Hypp. non dicit Plutarchus vero Athenis Amazonum sacrificium Athenienses facere consueuisse dicit antequam Theseo Heroum principi sacrificarent.

De reliquorum autem Scytharum specie, quoniam ipsi sibi ipsis similes sunt & nullo pacto aliis, eadem ratio ac de Ægyptiis, est præterquam quod hi quidem

dem à calido, hi vero à frigido violantur.

Ad aliam Scytharum differẽtiam Hypp. transit, qua illi ab aliis hominibus maxime distant, hæc autem est ipsos sibi ipsis nullo autem pacto cæteris hominibus similes esse, quod etiã Aegyptiis vsu venire idem Hypp. asserit, nam ipsi quoque sibi ipsis similes ceteris vero hominibus dissimiles sunt, & inquit de reliquorum Scytharum specie &c. ac si ipse de aliis Scythis dixisset quod ipse nõ fecisse videtur, sed ideo hoc pacto loquitur quod de Scytharum mulieribus dixerat ideo sta tim subdit de reliquorum autem Scytharum specie &c. Causas vero cur filij parentibus & progenitoribus suis similes vel dissimiles sint si quis scire cupit tertium caput 4. libri Arist. de generatione animalium legat in quo ipse hanc rem doctissime tractat, superfluum enim mihi visum est causas quas huius similitudinis & dissimilitudinis hic author in eo cap. addu cit in hunc locum transferre, illud potius considerandum est cur Hypp. dicat frigidum causam esse cur Scythæ omnes sibi ipsis similes sint ceteris vero hominibus minimè, Aegyptij vero propter calorem itidem sibi ipsis similes ceteris vero ho minibus dissimiles sint. An à calido & frigido licet contraria sint iidem effectus fiunt? videmus enim à calido membra syderatione affici nigraque fieri, quod etiam frigus facit, nil mirum igitur si Scythe sibi ipsis similes propter frigus sint & ab aliis hominibus distent, Aegyptij vero eodem pacto inter sesè habeant propter calidum & ab aliis differentes sint. Sed quomodo frigidum & calidum homines sibi ipsis similes & ab aliis dissimiles facere possunt? An quod Scythia ferè sem per æque frigida est, Aegyptus verò ferè semper æqualiter calidus? æqualitas vero similitudini gignendæ idonea est, nã ipsa quoque similitudo quædam est, nam æqualitas nil aliud est quam similitudo quantitatum, at vero cum in ceteris regionibus calor & frigus non ita æqualia sint vt in Scythia & Aegypto, ideo homines qui alias regiones incolunt non sunt sibi ipsis ita similes vt Scythæ & Aegyptij sunt, ideoque illis dissimiles, quod etiam paulo inferius Hypp. melius dicit.

Desertum vero quod Scytharum dicitur, planities est quę pratis abundat & nuda & moderate aquosa est, magna enim flumina sunt quæ aquas à pla-

nitiebus deriuant; in hac itaque Scythę & nomades ideſt in paſcuis degentes appellantur, quoniam domus ipſis non ſunt, ſed currus habitant, è curribus vero minimi quidem quattuor, hi vero ſex rotis conſtant, ipſi vero luto ſepti ſunt & veluti domus ſunt fabricati, hi quidem ſimplices, hi vero triplices, quapropter contra aquam & contra niuem & contra ventos validi ſunt, currus vero iumenta trahunt, hos quidem duo, hos autem tria boum paria abſq; cornibus, prę frigore nãque cornua non habent, in his quidem igitur curribus mulieres degunt, ipſi autem viri equis vehuntur, illos vero & oues quę ipſis ſunt & boues & equi ſequuntur, in eodem autem loco tanto tempore manent quanto fœnum ipſis pecoribus ſufficit, Cum autem non amplius durat ad aliã regionem tranſeunt, illi vero coctas carnes comedunt, equinum lac bibunt, ippacem vero quod caſeus equinus eſt edunt. Quę igitur ad victum ac leges eorum pertinent ſic ſe habet, & de anni temporibus ac ipſorum forma, quoniam Scytharum genus à reliquis hominibus exemptum & ſibi ipſi ſimile vt Ægyptium & minime fœcundum eſt.

Quia ſuperius Hyppoc. promiſerat eorum populorum de quibus acturus erat, formam corporis, mores animi, victuſq; rationem velle ſe dicere, cumque ſuperius de forma corporis Scytharum egerit qua ſibi ipſis ſimiles ſunt & ab aliis differunt, nunc ad victus rationẽ qua ipſi vtuntur tranſit, & quia Scythæ in deſerto quodam habitant, ideo Hyp. in hoc tex. Scytharum deſertum diligẽtiſſime deſcribit, eſt autem deſertum hoc vt in primo libro ſuæ geographiæ Strabo affirmat inter flumen Iſtrum & pontum Euxinum, eſt igitur hoc deſertum planities quædam pratis abundans, arboribus nuda, & moderate aquoſa, cuius rei Hyp. rationem reddit, & inquit ideo planitiem hanc moderate aquoſam eſſe quod magna flumina in ea ſunt quæ aquas ab hac planitie in pontum Euxinũ deducunt, nam torrentes & parua flumina lacuſque qui in ea ſunt in magna flumina influũt, hæc vero in Euxinum pontum vt dictum eſt, at hodierna die Pontus Euxinus il mar maggiore appellatur & à Turcarũ rege poſſidetur, hac igitur de cauſa planities illa moderate aquoſa remanet, in hac deſerta planitie igitur Scythæ vitam degunt, ideoque Nomades ideſt in paſcuis degentes appellantur, quoniam planities illa pratis abundat in quibus fœnum naſcitur quo pecora eorũ veſcuntur, domos nullas habent ſed currus habitant, è quibus minimos quatuor maiores vero ſex rotas habere Hyp. dicit, lu-

toque

coque septi & obturati sunt aduersus cœli iniurias, & veluti domus fabricati sunt, hi quidem vnico alij vero triplici tabulato constantes & ex his curribus quosdam duo quosdam vero tria boum paria trahunt, quos præ frigore cornibus carere Hypp. asserit. Arist. secundo cap. tertij libri de partibus animalium dicit animantia omnia quæ cornua habent magna esse quod multum terreni elementi habent, secus enim magna non essent, quodcumque igitur huius terreni elemẽti in ipsis veluti excrementũ est, natura ad caput transfert exeoque dentes vel cornua gignit, quo fit vt cornigera animalia superiorem maxillam sine dentibus habeant quod terrenum illud excrementum in cornua mutetur & in ipsis alendis cõsumetur, cũ igitur materia ex qua cornua gignuntur alunturque crassa & terrena, cutis vero præ frigore densa & adstricta sit ab illo excremento perforari non potest nec virtus naturalis quæ in calido sita est præ nimio cœli frigore cornua formare valet, hos currus mulieres habitant, mulieres dico quæ nuptæ sunt, nam virgines equitare, arcubus vti, iacularique superius Hypp. dixit, quod fortasse causa fuit, vt Hypp. prius de ratione victus qua Scytharum virgines vtuntur quam de situ Scythiæ de forma & victu aliorum Scytharum egerit, nam cũ ipsę nubunt cõtrario victu vtuntur ei quo vtebantur cũ virgines erant; viri autem equis vehuntur quos oues, equi, ac boues sequntur, equos dico idest equorum pullos quos præ nimia eorum mollitie equitare non possunt, in eodemque loco tam diu permanent quam diu fœnum nutriendis pecoribus sufficit, deinde in alium locum abeunt, coctas vero carnes elixas scilicet & equinum caseum edunt & equorum lac bibũt. De forma igitur & legibus Scytharum & de anni temporibus rem sic se habere Hippoc. dicit, quoniam ab aliis hominibus Scythicum genus multum distat & sibi ipsis Scythæ similes sunt vt Aegyptij quoque, minimeque fœcundum Scytharum genus esse Hypp. asserit. Cur autem Scithę minime fœcundi sint paulo inferius videbimus.

Regioque minimas feras & numero & magnitudine nutricatur, & enim sub ipsis vrsis & sub ripheis montibus à quibus Boreas spirat sita est, solque desinens proximus fit quando ad æstiuos circulos peruenit & tunc paruo tem-

pore calefacit, nec venti qui à calidis locis flant valde eò accedunt nisi raro et imbecilles, sed ab vrsis à niue à Chrystallis multisq; aquis semper frigidi venti spirant, montes.n. nunquam desinunt, propter hæc regiones inhabitabiles sunt.

Aliud Scythicę regionis proprium Hypp. narrat & inquit hanc regionem minimas ac pauciſſimas feras gignere & nutri cari quod nimis frigida eſt, nam ſub ipſis vrſis ideſt ſub arctico vertice & ſub Ripheis montibus ſita eſt, a quibus Boreas qui frigidiſſimus eſt ſpirat, ſolque deſinens proximus illis fit cum ad æſtiuos circulos acceſſerit, & ita acceſſerit vt iam ab ipſo tropico diſcedere incipiat nec ad illum amplius accedat, quapropter ipſe Hypp. dicit ſolem deſinentem proximũ illis fieri cum ad æſtiuum circulum acceſſerit, & tunc paruo tempore calefacit, quoniam cito ab eorum verticali puncto recedit & valde oblique radiis ſuis illos ferit, & venti qui à calidis locis ſpirãt raro & imbecilles ad eos perueniunt, nam ab oriente & meridie à montibus tecta eſt qui ventos orientales & Auſtrales qui ſuapte natura calidi ſunt impediunt ne ad ipſos peruenire valeant, præterea multa ac magna flumina quæ ipſis ad meridiem ſunt, ventos illos qui ab ea parte quando que ad illos perueniunt calidos eſſe non ſinunt ſed eos frigefaciunt, at venti qui à Boreali plaga & illi qui à niue glacie & multis aquis flant ibi ſemper ſpirant, quoniam montes qui Scythiam ambiunt continui ſunt & niuoſi, ideo ab illis vehementes & perpetui venti frigidi in ea ſpirant. Sed animaduertendum eſt Hypp. hic dicere ideo multos ventos frigidos ac vehementes in Scythia flare quoniam à multis aquis ſpirant, paulò vero ſupra in eo tex. qui hunc antecedit ipſe dixit Scythicam ſolitudinem moderate aquoſam eſſe. An cum Hypp. Scythicum deſertum moderate aquoſum eſſe dixit, in ipſo non multas ſtagnantes aquas vel paucos lacus eſſe intellexit, quoniam aquæ à magnis fluminibus quæ in ipſo ſunt à planitie illa in pontum Euxinum deriuantur, hoc tamen non impedit quin in ea multæ aquæ non ſint, ſiquidem in ea magna & multa flumina ſunt à quibus venti multi, vehementes ac frigidi ſpirant. Sed rurſus in hoc loco dubitari poteſt qua nam ratione frigus Scythicę regionis cauſa ſit cur ipſa paucas & minimas feras gignat, ſiquidem ab aeris frigore calor intra

anima-

animalium viscera claudatur nec perflatum habeat, quo fit vt ipse multiplicetur & animalium corpora robustiora faciat gignendisque animalibus idonea, qua de causa Hypp. 17. aphoris. tertij secti dicebat Aquilonias constitutiones corpora dẽsare atque contendere & bene mobilia, coloratiora & melius audientia facere, & 15. aphor. primi secti vẽtres hyeme natura calidissimos esse eadem de causa dixit, Gal. quoque primo de temperamentis homines qui boreales terrę regiones incolũt & si mollem & albam cutem habent non ob hoc frigidos esse dixit, quoniam ipsorum calor à cœli frigiditate ad interiores corporis partes impellitur, quapropter ipsi excandescentes & audaces præ calore sunt. An non perpetuum est corpora calidiora gignẽdis animantibus idonea esse? nã qui crescunt plurimum innati calidi habent, vt Hypp. 14. aphor. primi secti asserit, & tamen gignendis hominibus idonei non sunt, iuuenes quoque & ij qui in virili ætate constituti sunt si nimis calidi fuerint gignendis hominibus non sunt idonei quod humor & flatus à nimio calore resoluantur qui concubitui necessarij sunt, quod antiqui poetæ significarunt cum ex spuma genitalium membrorum cœli quæ à Saturno in mare proiecta fuerũt Venere ortam esse finxere, at in Scythia licet calor à frigiditate cœli ad interiores corporis partes impellatur ideoque multiplicetur, attamen quia multo humore illorum corpora abundant, humor autem suapte natura caloris vim obtundit suaque copia calorem diluit & imbecilliorem facit & quasi suffocat, ideo nil mirum si gignendis animalibus ineptus est, quamobrem in Scythia paucę ac minimę ferę hominesque minime fœcundi sunt vt paulò supra in hoc eodem tex. Hypp. dixit.

Aerque multus die planities obtinet, & in humidis degunt, adeo vt hyems perpetua, æstas vero paucis diebus & his non valida sit, sublimes enim planities & nudę nec montibus cinguntur sed illic ac cliues sub vrsis, neque ferę magnę nascuntur sed quę à terra cooperiri valeant, hyems enim & terrę nuditas prohibent, neque tepor neque tegmen est, & enim temporum anni mutationes magnę non sunt nec valide sed similes & quæ parum mutentur, quapropter & species ipsę sibi ipsis similes sunt, ciboque simili semper & eadem veste ęstate ac hyeme vtuntur, aeremque crassum & aquosum inspirantes & aquas

ex niue & glaciebus bibentes & absque labore, nõ enim fieri potest vt animæ & corpus laborent vbi validæ mutationes non fiunt, quamobrem formæ ipsorum crasse & carnose necessario sunt, & articuli humidi & imbecilles, ventresque humidissimi & ex omnibus ventribus inferiores, venter enim in tali regione, natura & tempestate resiccari non potest, sed propter pinguedinem & carnis nuditatem formæ ad inuicem similes sunt, mares maribus & fœminæ fœminis, cum enim tempestates similes nullæ corruptiones neque contagiones in concretione seminis genitalis fiunt, nisi aliqua necessaria violenta fortuna vel morbus accedat.

Prosequitur Hypp. enarrare situm, temperamentum & tẽpestates Scythicę solitudinis, & rationem victus qua Scythę vtuntur & quasi illustrat ea quæ superius in tex. qui hunc proxime antecedit breuius dixerat, & inquit aerem qui desertũ hoc obtinet die multum esse, superius dixi antiquos cum aerem dicebant aerem crassum nubilosum & obscurum significare, cum vero purum, tenuem & clarum aerem indicare volebant Aethera dicebant, & ad hoc probandum Gal. testimonio vsus sum, cum igitur Hypp. in hoc loco dicat aerem multum planitiem illam obtinere crassum & nubilosum aerem intelligit, præsertim cum dicat *multus* nam aer crassus semper multus videtur & inquit hunc aerem die Scythicam planitiẽ obtinere, non quod hic idem aer noctu etiam Scythicam regionem non obtineat, sed quia die crassities & obscuritas aeris magis apparet, ideo aerem crassum die planitiem obtinere Hypp. dixit, & quia Scythę in hac planitie viuunt qui propter aeris crassitiem & obscuritatem humidus est, ideo Hypp. dixit Scythas in locis humidis degere, nam magna & multa flumina quæ in ea solitudine sunt, ideo eam humidam reddũt quod multi vapores ab illis attolluntur qui crassi sunt & aeri admiscẽtur illumque crassiorem & humidiorem faciunt, cum igitur ab his vaporibus aer frigefiat & humectetur nil mirum si in ea regione hyems ferè perpetua est, æstas vero breuis & in valida ea ratione quam in tex. qui hunc proxime antecedit Hypp. adduxit, præsertim cum planities nuda sit nec arboribus tegatur, quamobrem hyems asperior fit quod vehemens ventorum impetus ab arboribus non interrumpatur, nec mõtibus cingitur, non quod à montibus non circumdetur sed

planities

planities continua sit neque montibus intersecta in quibus ca uernæ sint, in quibus cœli frigus homines fugere valeant, sed planities sublimis est accliuis scilicet, nam à meridie Boream versus semper ascēdit vt flumina indicant quæ à Boreali eius plaga meridiem versus in Euxinum pontum influunt, paucæ autem & paruę ferę ibi oriuntur ea ratione quam superius di xi, id quod sagax natura fecit vt eę cœli frigus in paruis fo-ueis quas in ea planitie fodere possunt declinare valeāt, quod nullus tepor in ea solitudine sit sed hyems ferè perpetua, neque aliquod tegmen quoniam terra nuda est, cumque anni tempestates similes sibi inuicem sint ideo hominum formæ sibi ipsis similes sunt mares maribus & fœminę fœminis, nec solum propter temporū anni similitudinem Scythę sibi ipsis similes sunt. Verum quia eadem ratione victus omnes semper vtuntur, vt eodem cibo iisdemque vestibus hyeme & ęsta te, præterea aerē crassum & aquosum omnes inspirant, aquas ex niue & glacie bibunt, nec laborant, quæ omnia eos sibi inuicem similes facere possunt, nec laboribus & exercitationi bus deditos ipsos faciunt, quoniam in iis locis in quibus magnę & frequentes cœli mutationes non sunt, nec anima nec corpus exercentur vt supra probaui. Cęterum licet Hypp. Scythas specie sibi similes esse dixerit non ob hoc dixit quæ nam eorum forma sit, ideo nunc dicit eorum corpora crassa & carnosa esse articulosque humidos & imbecilles ventresq; humidissimos præsertim inferiores habere, quod præ cœli fe rè perpetua frigiditate resiccari non possunt, cum multo humore abundēt, propter nimiā igitur pinguedinem carnisque nuditatē quia omnes glabri sunt, mares maribus fœminę vero fęminis vt superius dixi similes sunt, vt de Phasianis quoq; paulò supra Hypp. dixit, ideo autem similitudo tempestatum homines similes facit, quia genitale semen non alteratur sed in sua natura semper manet, & inquit Hypp. in concretione seminis quoniā semen genitale humidum quoddā concretū veluti oleum est, & cū magnæ cœli mutationes fiūt facile cōtagione morbo aliquo scilicet vel etiā corruptione affici potest quibus non periclitatur cum cœlum semper simile est, ni si aliquis magnus error in ratione victus fiat vel aliqua pesti-

lentia

lentia aerem inficiat, aut aliqua alia causa quę fortuito accedat & homines male habeat.

Maximum autem signum humiditatis proferam, multi enim Scytharum, omnes quicumque Nomades sunt, humeros, brachia, manuum articulos, pectora, coxas, & lumbos exusta habere inuenies, propter nullam aliam causam quam propter humiditatem & mollitiem, non enim arcus tendere neque humero telum iaculari prę humiditate & mollitie valent, quãdo autem vruntur copia humoris articulorum consumitur & maiora ac validiora & magis articulosa eorum corpora fiunt.

Corpora Scytharum pinguia & crassa esse præ nimio humore nec laboribus idonea certa nota in hoc tex. Hypp. probat & ait multos è Scythis Nomades vero omnes, humeros, brachia, manuum articulos, coxas, lumbos & pectora inusta habere, quod nulla, alia de causa faciunt nisi vt nimius ille humor quo membra eorum abundant consumatur, secus autem membra mollia & ita imbecilla habent vt arcus tendere & tela torquere nequeant, cum autem inuruntur humiditas ea tollitur, quæ illorum membra debilia & mollia faciebat, quare ipsa validiora, maiora & magis articulosa fiunt idest articuli eorum magis apparent, maiora autem fiunt quod melius aluntur, nam nimius ille humor innatum calidum ferè suffocabat, quapropter illud humorem cum nec vincere nec in substantiam membrorum quę alere debebat mutare poterat, cum autem exusti sunt, nimius ille humor consumptus est, adeo vt ea pars humoris quæ remansit ab innato calido vinci possit.

Distorta autem & laxa fiunt, quod fasciis non inuoluuntur vt in Aegypto, neque curant quomodo per æquitationem firmi sint, demum vero propter ocium, mares enim quousque æquis vehi non valent multo tempore in rheda sedent & propter transmigrationes et circuitiones parum ambulant, mulierum autem formæ mirum vt distortę sunt & tardę.

Aliud proprium corporum Scytharum Hypp. in hoc tex. enarrat, dicit enim Scytharum corpora retorta & laxa fieri, quod fasciis dum in cunabulis sunt non inuoluuntur vt Aegyptij puerulos suos fasciis inuoluunt, quamobrem in quam cumque partem volunt libere moueri possunt, quo fit vt mẽbra eorum quod mollia & tenella sunt facile distorquantur,

præterea

præterea corpora eorum laxa fiunt, quod humores quibus ipsa abundant à fasciis non impediantur quin in quamcumq; corporis partem fluant corporaque infantium laxa & mollia faciant. Codices græci omnes habent ῥοϊχα δὲ γίνεται καὶ πλατέα. Latinus interpres vir sanè doctus & accuratus hæc verba ita transfert *fluida vero fiunt & lata*, quod nescio quo pacto stare possit, nam & si vox illa ῥοϊχα fluida significare potest præsertim in mulieribus numquam tamen nõ inuolui fasciis causa esse potest vt corpora fluida sint, attamen Hypp. inquit causam cur infantium Scytharũ corpora ῥοϊχα sint esse quod fasciis nõ inuoluuntur vt Aegyptij infantes suos inuoluunt. Laxa vero vel lata esse possunt quod fasciis non inuoluuntur, fluida vero minime idest vt fluoribus laborent. Aliam rationem deinde Hypp. adducit cur Scythæ membrorum distorsione laborent videlicet Scythas non curare dum æquitant vt bene & recte equis insideant, quapropter membra eorum facile distorquentur quod male illorum corpora æquis insideant & in ipsis firma non sint. Demum Hypp. aliam rationem adducit cur Scytharum corpora laxa & mollia sunt dicitque hæc ab ocio fieri, nam Scythę quousque æquitare non valent in Rhedis sedent nec omnino deambulant vel parum, nam Scythę cõtinuo ab vna regione in aliam transmigrant, & continuò circum eunt, quamobrem pueruli raro & parum de ambulare valent, ideoque in Rhedis ociosi degunt. Mulierum autem formę distortæ sunt & tardę nam cum fœminę frigidiores & humidiores viris sint nec fasciis inuoluuntur facilius quam mares distorquentur tardęque sunt nam velocitas calidi & sicci opera sunt ipsę autem frigidæ sunt & humidæ. Animaduertendum est in codicibus græcis impressis eam vocem *tardæ*, quæ græcis καὶ βραδέα dicitur non legi, sed in prædictis correctionibus legitur & iudicio meo recte.

Rufa vero gens Scythica est propter frigus, nam sol in ipsos fortiter non incumbit, à frigore autem albedo exuritur & fit rufa.

Aliam Scytharum differentiam qua ab aliis hominibus Scythę differunt Hyppoc. enarrat, ea vero est omnes Scythas rufos esse, & quamuis etiam inter alias gentes non nulli sint qui capillos rufos habent, tamen nõ omnes vt Scythę rufi sũt,

est

est autem rufus capillorum color æris colori similis quo fit vt hi homines qui rufam barbam habent ab antiquis æno barbi dicantur, & quia eorum regio multo frigore riget cutis eorum mollis & alba est, calor enim præ frigore ad interiores corporis sedes retrahitur, quamobrem cutis eorum mollis & alba fit vt dixi quod etiam Gal. 2. de temperamentis docet, illi autem cum è cute exire incipiunt albi essent, sed quia innatum calidum cutis à frigore exprimitur pili exuruntur & rufi fiunt, qui color nigro similior est quam albus qui nigro cõtrarius est, quo fit vt cum calor alicuius corporis ab eo prorsus expressus sit corpus illud nigrũ fiat, haud secus ac si igne combustum esset, idem enim effectus vt superius dixi nigredo scilicet a frigore & calido fit sed diuerso modo, à frigore namque expressione, à calido autem consumptione & combustione, quamobrẽ videmus omnes herbas cum sub terra stant albas esse vt endiuia, cicorium & multę aliæ, cum autem è terra extrema earum exeunt viridia fiunt quod illarum humor à sole ita consumitur & aduritur vt ex albo ad viridem transeat qui propè nigrum est, ad quem plantæ propter humidi consumptionem & adustionem perueniunt vt author libri de coloribus quicumque ille fuerit optime demonstrat.

Fieri autem non potest vt talis natura fœcunda sit, neque enim viris propter nataræ humiditatem ventrisque mollitiem atque frigiditatem multus appetitus coitus fit, propter quę viros concubitus minime concupiscere probabile est, præterea ab equis continuò fracti imbecilles ad coitum fiunt, & hę quidem causę viris sunt. Mulieribus vero carnis pinguedo & humiditas, & enim vuluę genitale semen amplius recipere nequeunt, neque enim menstrua purgatio ipsis fiuit vt opus est, sed pauca & rara, vterique os à pinguedine clauditur nec genitale semen suscipit, ipsęque ociosæ & pingues ventresque earum frigidi & molles sunt, & his de causis gens Scythica necessario infœcunda est.

Scytharum gentem infœcundam esse Hypp. superius dixerat, id tamen non probarat, nunc autem ad id probandum aggreditur & primo cur viri ipsi infœcũdi sint deinde hoc idem de mulieribus probat, inquit igitur viros infœcundos esse quod propter naturę humiditatem ventrisque mollitiem & frigiditatem concubitum non multum concupiscũt, cum vero Hypp. in hoc loco mollitiem & frigiditatem ventris dicit

infe-

inferioris ventris mollitiem & frigiditatem intelligere debemus in quo membra illa quæ medici naturalia vocant continentur, his enim de causis scilicet propter huius ventris frigiditatem & mollitiem viri concubitū minime appetunt, si quidem Veneris appetitus à calido fit, quod ideo apposuit vt quod superius in hoc eodem tex. dixerat illustraret videlicet Scythas infœcundos esse quia præ ventris mollitie & frigiditate concubitum non appetunt, nam frigiditas & humiditas quæ ventris mollitiem faciunt libidinem impediunt. Præterea quia continuò equitant franguntur & ad coitum imbecilles fiunt. Sed de hac Hypp. sententia dubitari posset, quoniam videmus hominibus cum equis vehuntur genitalia calefieri & venerem concitari, quamobrem Arist. 11. probl. 4. secti quærit cur hi qui continuo æquitāt libidinosiores fiunt, & inquit hoc ideo fieri quod dum homines equitant inferiora membra eodem ferè motu mouentur quò mouentur in cō cubitu, quamobrem ea calefiunt ac dilatantur maiorque genitalis seminis quantitas ad pudenda descendit. An dictum Hyppoc. intelligendum est de ea æquitatione quæ nimia est? ideoque corpus valde debilitat & multus spiritus consumit, vt etiam nimia exercitatio facit quæ corpus laxum & debile reddit, præsertim in frigidissima regione vt Scythia est, quæ frigore suo frigiditatem illam quæ spirituum consumptionem sequitur auget, ideoque corpus magis infirmum facit.

Huius autem rei maximam & certam notam eorum famulę faciunt, protinus enim ad virum accedunt & propter laborem carnisque exilitatem vtero concipiunt.

Scytharum fœminas non concipere, quod præ nimio ocio ac cœli frigiditate pingues sint, ideoque coitum cum viris minime appetant, & à pinguedine os vteri ita claudatur vt genituram suscipere nequeat à signo Hypp. probat, inquit enim Scytharum famulas quę quod perpetuò se exerceant ac laborant graciles & exiles esse, ideoque cum os vteri à pinguedine non claudatur & genitale semen recipere ipsumque retinere valeat prompte concipiunt, at vero quia calor innatus ab exercitatione & labore ventilatur ideoque crescit neque ab humoris copia obtunditur & hebetatur, ideo ipsorū seruæ

concu-

concubitum vehementer appetunt, quo signo quod ab exercitatione & gracilitate seruarum sumitur concludere velle videtur Hypp. Scytharum liberas mulieres præ nimio ocio ac pinguedinis copia concubitum minime expetere & difficulter concipere ac ferè steriles esse.

CAPVT VNDECIMVM.

AMPLIVSQVE *ad hęc Scytharum plurimi Eunuchi fiunt atque muliebribus muneribus funguntur & vt mulieres similiter loquuntur taleſque effœminati appellantur.*

Aliam rationem Hypp. adfert vt Scythas infœcundos esse probet, hæc autem est ideo Scythas infœcundos esse quod ex ipsis plurimi Eunuchi fiunt his de causis quas ipse paulò inferius dicet, plures autem esse modos quibus homines & cætera animantia quoque euirantur vnusquisque nouit, omnes vero homines qui euirantur communi nomine Eunuchi vel spadones dicuntur, & cum castrati sunt mulieribus similes fiunt, ideo ipsos effœminatos dici Hypp. asserit, quod autem ea animantia quę castrantur fœminis similia fiant indicat eorum carnes molliores fieri & si brutorum animãtium fuerint quæ castrata sint gustui suauiores sunt quam essent antequam castrata forent vt carnes boum & suum castratorum sapidiores esse sentimus quam eorum quæ castrata non sunt, voceſque omnium castratorum magis acutæ sunt quam illorum quæ non sunt euirata, solutis etiam equis cum præ ferocitate exultãt si quis castratos equos admoueat illos neque calcibus neque morsibus petunt, quasi illos ceu fœminas dedignentur nec cum illis certare velint, sed facile à viris qui illis insident se frẹmari patiãtur, Scythas ergo qui Eunuchi sunt quod voces cętęris acutiores habeant vt mulieres loqui Hypp. dicit, & quia fœminis similes sunt ideo effœminati vocantur, muliebribusque muneribus funguntur, ideo autem mulieribus dum castrãtur Scythę cętęrique homines similes fiunt, quod teſtes ad immutandum hominum & aliorum animãtium temperamentum maximam vim habeant, vt ea signa quæ adduxi manifeste indicant, sed cur teſtes hanc vim immutandi animantium

mantium temperamenta habeant Gal. in primo libro de semine dicit ideo maximam vim testibus inesse immutandi animantium temperamentum quod ab ipsis ad vniuersum animalium corpus qualitas quędam mittitur qua ipsa maria vel fœminæ fiunt, haud secus ac à deleteriis medicamētis vis quędam ad vniuersum animantis corpus mittitur quæ ipsorum temperaturam & substantiam corrumpit, quamobrem animantia quæ sunt castrata neque maria neque fœminæ sunt, quod eo membro careant quod illa mascula vel fœminas faciebat, quod autem qualitas quædam à testibus ad vniuersum animantis corpus mittatur quæ illud masculum vel fœminam faciat, illis iisdem signis probat quæ ego superius in hoc eodem commentario enumeraui, sed hęc qualitas quam a testibus ad vniuersum corpus mitti Gal. asserit quid nam est? An calor quidam ipsorum testium proprius, castratorum namque animantium corpus frigidius fieri videmus, quapropter cum castrantur calore priuari videntur. Sed per quas vias & veluti canalia hic testium calor ad vniuersum animalis corpus mittitur? vim enim mouendi & sentiēdi à cerebro ad vniuersum corpus per neruos mitti videmus, quamuis ea vis qualitas quædam incorporea sit, momento enim temporis statimque ad vniuersum corpus mittitur. An huiusmodi calor per venas arterias & neruos quæ testibus insunt ad vniuersum corpus mittitur? nam esse marem vel fœminam est forma quædam quæ ad omnia membra pertinet, ideo per canales illos quibus principia membra vim suam ad corpus mittunt hic calor qui in testibus perfectionem suam acquirit ad vniuersum corpus mittitur, inquit deinde Hypp.

Indigenę quidem causam deo attribuunt & hos homines venerantur at cō genulant singuli sibi ipsis timentes.

Antequam Hypp. ad reddendam veram rationem accedat cur è Scythis plurimi Eunuchi sint quid de hac re Scytharū vulgus existimet, narrat & inquit Scythas vulgo opinari deū sibi ipsis huius affectus causam esse & eos qui illo laborant in deum grauiter peccasse, quamobrem dij ipsi eos hac pœna puniunt, qua de causa hos Eunuchos Scythę venerantur & colunt eorumque miserentur ac sibi ipsis timent ne si fortasse impru-

imprudentes deos offenderint dij ipsi eadem pœna se ipsos puniant, & ita antiqui Eunuchos coluere vt eos in Persi de olim regnare solitos esse Plinius cap. quarto 14. libri naturalis hyst. asserat.

Mihi autem ipsi hi affectus ac omnes alij diuini esse videntur, nullusque alius alio diuinior neque humanior, sed omnes diuini, vnusquisque autem talium naturam habet, nihilque sine natura fit, & hic affectus quomodo fieri mihi videtur dicam.

Postquam Hypp. dixit Scytharum vulgus in deos referre causam huius mali qui Scythas vexat videlicet plurimos ex ipsis Eunuchos fieri, nunc ostendit quomodo hęc Scytharum opinio vera & falsa esse possit, nã omnes affectus qui homines male habent diuini sunt & à diis procedunt, quoniam à natura fiunt & vnusquisque eorum propriam naturam habet quæ ipsos facit, natura autem à diuina mente regitur, ideo omnes affectus diuini sunt, quia à natura fiunt quæ à diis vt dixi regitur, quamobrem ciuis ille noster nobilissimus philosophus, doctissimus theologus, ac lepidissimus poeta canebat.

Filosofia mi disse à chi l'attende,
Nota non pure in vna sola parte,
Come natura lo suo corso prende,
Dal diuino intelletto & da sua arte.

Quia igitur omnes hi affectus licet præter naturam sint tamen a principiis naturalibus fiunt natura autem a diis dirigitur, ideo diuini omnes dici possunt, à natura autem morbi fieri dicuntur non quod natura illos facere intendat, sed quia à principiis naturalibus vt dixi fiunt, v.g. febris fit in humoribus vel spiritibus vel solidis partibus a calido quod nimis augetur, quæ omnia res naturales sunt & principia corporis animantium, augetur autem calor à pluribus causis quæ omnes naturales res sunt quæ a diis reguntur & pendent, ideoq; natura fieri dici possunt. Si vero quis dixerit quosdam affectus à diis fieri ideoque diuinos esse, alios vero humanos esse quod à causis naturalibus & ab hominibus fiunt hoc falsissimum esse Hypp. arbitratur ea ratione quam ipse in tex. adducit, quod nihil sine natura fit & vnusquisque affectus propriam naturam habet vt morborum sympt. quę ipsorum ope

ra sunt

ra sunt manifeste indicant. Hanc sententiam author libri de morbo sacro quicumque ille fuerit doctus sanè & accuratus vir optimis rationibus damnat, ad quem illos remittimus qui hanc rem secus ac Hyppoc. eam tractat scire cupiunt, sed vulgus hominum cum aliquem vehementem morbum non nullos vexare vident ipsius causam ignorãtes illam in deum tanquam in illius morbi causam referre consueuere, quem di cẽdi modum fortasse septimo tex. primi præsagiorum Hypp. sectatus est cum dixit *Quin etiam si diuinum quidpiam morbis inest huius quoque prouidentiam perdiscere*, idest prouidentiam perdiscere occultæ causæ quorundam morborum quas occultas causas vulgo in deum referunt diuinumque ipsum morbum appellant, mirum enim eo in loco Hypp. aerem diuinum appellare vt Gal. in commentario eius tex. asserit, cum nullibi aerem deum vel diuinum dicere Hypp. cõsueuerit, morbi prẽterea qui ab aere fiunt non occultas sed manifestas causas sæpe habent vt vnusquisque ex tertio secto aphoriss. & ex libris de morbis vulgaribus discere potest. Cẽterum de hoc Hyppoc. dicto aliquis dubitaret videlicet nullum affectum alio humaniorem esse, nam Gal. in primo commentario in primum librum Hypp. de morbis popularibus quosdam esse morbos dixit, qui à mala victus ratione fiunt & à grẽcis σποράδες dicuntur, si igitur hi morbi à mala victus ratione qua homines vtuntur, fiunt ab hominibus fiunt, ideoque humaniores illis esse videntur qui ab aere fiunt & ἐπιδήμιοι à græcis appellantur. An neque hi morbi cẽteris humaniores dici debent quoniam propriam naturam habent & à rebus naturalibus fiunt ab humoribus scilicet vt ἐπιδήμιοι? licet in his alteratio corporum & humorũ quæ propinqua morborum causa est ab aere fiat, in illis vero hæc eadem humorum corporumque alteratio ab hominibus fiat, sed propter hoc homines proxima causa morborum non sunt sed longinqua ideo hi affectus cẽteris humaniores dici non debent nam res à proxima causa non autem à longinqua nominari debent.

Propter equitationem diuturni eos articulorum affectus corripiunt. si quidem ex equis semper cruribus pendent, & his qui vehementer ægrotauerint coxendices contrahuntur, hoc autem modo sibi ipsis medentur, quando morbus

bus incipit vtramque venam post aures secant, cum vero sanguis effluxerit præ debilitate somnus eos comprehendit & dormiunt, deinde expergiscuntur nonnulli quidem sani existentes, quidam vero minime.

Postquam Hypp. eorum sententiam reprobauit qui opinabantur deos causas esse vt è Scythis plurimi Eunuchi nerent, nunc aggreditur ad docendum nos veram causam huius mali Scytharum, & quia Scithę diuersorum temperamentorum ætatum & studiorum ab hoc malo vexantur communem causam huius mali quæ tam diuersæ naturæ homines torquet inuestigare opus est, vt Gal. in commentario primo in primũ tex. primi libri de morbis vulgaribus faciendum esse nos docet, est igitur communis causa huius mali Scytharum curatio quædam quam ipsi adhibent articulorum doloribus quibus ipsi laborant quod continue equitant, nam cum ipsorum crura continuò ex equis pendeant humores omnes in crura decumbunt & articulorum dolores faciunt, eorumque coxendices contrahuntur quod nerui, tendines & ligamenta coxendicis humoribus illis qui in crura decumbunt impleantur veluti cordæ faciunt cum nimio humore implentur, quæ mala tempore Hypp. ab æquitatione facilius quam hodierna die fieri poterant quod eius temporis homines instrumento illo carebant quod staffam dicimus & equitantium crura sustinet, vt igitur his morbis Scythę mederentur venas quæ post aures sunt secabant & magnam sanguinis copiam detrahebãt, quamobrem è debilitate somnus eos comprehendebat à quo cum expergiscebantur non nulli sani erant quidam vero minime, illi enim quibus ab hac sanguinis missione vires ita supererant vt somno humores qui in articulis & coxendice erant in halitum digerere valerent ij sani fiebãt, qui vero ita imbecilles erant & naturalis eorum calor ab ea sanguinis missione adeo debilitabatur vt humores qui in illis membris erant consumere non posset iis morbi illi non finiebantur sed longe peius se habebant ac prius se haberent, quod innatum calidũ eorum membrorum a lar-

ga

ga illa sanguinis detractione debilitatum, membra illa humorum fluxionibus recipiendis magis idonea reddebat.

Mihi quidem igitur in hac curatione genitura corrumpi videtur, sunt enim iuxta aures venę quas si quis secuerit, ij quibus secantur steriles fiunt, has igitur venas secare mihi videntur.

Postquam Hypp. curationem dixit quam Scythę articulorum & coxendicum doloribus adhibent videlicet sectionem venarum quæ post aures sunt, nunc probat hanc curationem sterilitatis Scytharũ causam esse & ait post aures venas quasdam esse quas si quis secuerit hominem sterilem facit, quia ergo Scythę vt coxendicis & articulorum malis mederentur has venas secabant ideo steriles fiebant. Quod autem post aures venę quædam sint quas si quis secuerit homo sterilis fiat velut notum & ab illis philosophis probatum qui semẽ à quacumque corporis parte in vasa seminaria demitti opinabantur, relinquit, quam sententiam Democritus probasse videtur vt ex Arist. 4. cap. 2. libri de generatione animalium intelligere licet, quæ opinio ab Arist. firmissimis argumentis cap. 18. primi libri de generatione animalium improbatur & quemadmodum ea vera esse possit superius dixi, hoc vnum addam semini affinitatem magnam esse cum cerebro, natura enim seminis aquosa est caloremque aduentitium habet vt cerebrum, quo fit vt à nimio cõcubitu caput & oculi præsertim maxime lędantur vt Arist. ipse 5. cap. 2. libri de generatione animalium & primo & 2. & 32. problematibus quarti secti affirmat, & quamuis semen excrementum esse Aristot. 18. cap. primi libri de generatione animalium vt dixi firmissimis argumentis probet, attamen ipsum ab omnibus corporis partibus in vasa seminaria defluere idem Arist. 21. probl. 4. secti affirmat & 5. cap. 2. libri de generatione animalium duobus experimentis probat, è quibus vnum est illud quo mulieres vtuntur vt cognoscant an aliqua mulier fœcunda futura sit nec ne, vt si odores qui vterum subeunt efferantur & anhelitum mutent, alterum vero si oculi aliquo colore illiniantur & oris saliuam tingant, nam nisi hæc fiant meatus corporis per quos excremẽtum illud ad vasa seminaria transire debet cõfusos obseptos & obcęcatos esse significatur, quamobrem

concludi potest semen excrementum esse quod ab omnibus corporis partibus in vasa seminaria defluat, cum autem Arist. 8. cap. primi de generatione animalium opinionem illorum philosophorum improbat qui opinabantur semen esse secretionem quamdam ab omnibus corporis partibus, intelligebat semen non esse excretionem humoris qui actu in membris contineretur sed ipsius alimenti excrementū quod deinde in vasa seminaria defluere, quia ergo cum venæ illæ quę magnæ esse videntur siquidem cum secantur largam sanguinis copiā emittunt excrementum illud quod à cerebri alimento supereſt per eas venas ad vasa seminaria demitti non potest, ideo homines steriles fiunt, vel quod ex his venis cum secantur tanta sanguinis copia detrahitur vt cerebrum ita frigefit præsertim in frigidissima regione vt Scythia est vt vtile illud excrementum amplius gignere non possit quare homines steriles fiunt.

Hi vero post hæc ex quo ad vxores accedunt nec illis ipsis vti possunt, primum non animaduertunt, sed quietem habent, quando autem bis vel ter & amplius tentantibus nihil diuersum accidit, putantes in aliquo in deum peccasse cui causam assignant muliebrem stolam induunt, mollitie se ipsos condemnantes, ac muliebriter viuunt & cum mulieribus ea quę & ipsę operantur.

Enarrat quid Scythę faciant postquam à somno expergiscuntur qui post largam sanguinis missionem eos inuasit, & inquit illos ad vxores suas accedere vt illas ineant, quod si facere nequeunt primum non animaduertunt nec putant se in Eunuchos euasisse, sed postquam bis vel ter & amplius hoc idem tētarunt, nec illis aliquid diuersum accidit ab eo quod prius acciderat scilicet vt quemadmodum prius cum vxoribus coire non poterant ita postquam pluries hoc idem tentarunt illas inire nequeunt, deos in aliqua re offendisse & propter deorum iram hoc malum illis euenisse arbitrantur, qua de causa stolam induunt & mollitiem eo pacto sibi exprobrant, ac si culpa sua quod deos lęserint effœminati sint facti muliebribusque officiis funguntur, & quæ domi sunt curant, aquam capite gestant cęteriſque fœminarum muneribus funguntur.

Hoc

Hoc autem è Scythis diuites, non minimi sed nobilissimi & qui potentiam multam habent propter equitationem patiuntur, pauperes vero minus, non enim equitant, atqui opus erat quod morbus hic cęteris diuinior est non solis Scytharum generosissimis & ditissimis sed omnibus similiter & magis his qui pauca possident accidere, qui iam deos non venerantur siquidem dij gaudent & ab hominibus suspici & pro his remunerationes referunt.

Quia tempore Hyppoc. hæc opinio inualuerat vt quidam morbi qui cęteris seuiores ac vehementiores sunt à diis hominibus propter eorum scelera mitterentur, ideo Hypp. hanc rursus reprobare aggreditur, & ait non plebeios pauperesq; Scythas eunuchos fieri sed nobiles ac diuites, quod sępius equitent quā pauperes qui prę inopia equos alere nequeunt, si ergo hoc malum Scythas vexat quod nimis equitāt ipsi sibi ipsis huius morbi causa sunt non autem dij, nam si à diis hoc malum Scythis mitteretur omnes Scythas similiter vexaret vel magis pauperes quam diuites, nam diuites deos magis venerantur quod templa ipsis ædificent, plura & magnificentiora sacrificia diis faciunt quam pauperes qui præ inopia nec templa diis ædificare nec ipsis aras erigere valent, si ergo dij hominum res curant vt hi qui hos morbos à diis hominibus mitti asserunt, opinantur & ab hominibus suspici ac laudari & honorari delectantur & hac de causa beneficia hominibus referunt non diuitibus & nobilibus mala sed bona mittere deberent, quod eos diuites magis quam pauperes venerentur & colant, si igitur Scythę sibi ipsis huius mali causa sunt non à diis ipsis mittitur vt ipsi existimant.

Verisimile enim est diuites quidem multa diis sacrificare donariaque offerre & eos colere cum multas pecunias habeant, pauperes vero minus quod pecuniis non abundent, iam vero & incusantes quod sibi pecunias non dent, adeo vt talium peccatorum pœnas illi qui pauca possident magis quam diuites ferant, sed vt & prius dixi sacra quidem & hæc vt alia sunt, natura vero quælibet fiunt, & hic morbus à tali quam dixi causa Scythis fit, res autem circa alios homines similiter se habet, vbi enim maxime & frequentissime equitant, illic plurimi ab articulorum & coxendicum doloribus atque podagris corripiuntur & ad concubitum imbecilles sunt, hęc Scythis adsunt & his de causis omnium hominum concubitui minime idonei sunt, & quod bracas semper habent & plurimum temporis equis insident, ita vt penem manibus non contrectent, ac præ frigore & lassitudine suauitatis & concubitus obliuiscantur & nihil prius moliri quam euirari.

Hic tex. in impressis codicibus legitur ὄντων χρημάτων καὶ τιμῶν, quæ verba significant cum pecunias habeant & eos colere, at in correctionibus illis quarum sæpe mentionem feci tex. hic ita legitur ὄντων χρημάτων πολλων καὶ τιμῶν, quæ verba significant cum multas pecunias habeant & honores, ex his duabus scripturis prima mihi magis placet quam secunda, non enim video quomodo honoribus abundare possit esse causa vt templa ędificentur & arę diis erigantur quem admodum pecuniis abundare, at illam vocem πολλῶν quę in in secunda scriptura legitur primæ scripturæ addendam esse putaui, quoniam multis pecuniis abundare ad templa construenda & aras diis erigendas multo magis conducit quam honoribus abundare. Sed de hac Hypp. sententia dubitaret aliquis videlicet diuites magis gratos diis esse debere quam pauperes, quod plura & maiora sacrificia diis faciant quam pauperes, templa & aras ipsis erigant, dij etenim non solum donaria sed primo animum & propositum eorum qui hostias offerunt respicere solent, quamobrem Neptunnus cum dormiẽti Anaxagoræ apparuisset & ei exprobrasset quod aquam solam non ecatombem sibi sacrificasset Anaxagorasque ipsi respondisset cur me incusas Neptunne? an quod pecunia mutuò sumpta ciuitatem nidore non expleuerim? at pro modulo rei familiaris aquas tibi sacrificaui, ad hoc responsum arridens Neptunnus visus est Anaxagorę dexteram porrigere ac dicere in tuam gratiam ingentem aquarum prouentum Megarensibus largiar, quod postea venisse affirmãt, quo spectro demonstratur non hostias neque donaria nec templa & aras sed animum eorum qui sacrificant diis gratum esse, præsertim cum diuitiæ sæpius ab hominibus prauis quam à studiosis possideantur vt Arist. 8. probl. 29. secti affirmat, & in Euangelio de illo epulone legitur, qui cum ditissimus esset crudelitas & auaritia ita animum eius occuparant vt nè micas quidem panis quæ de eius mensa cadebant pauperi illi qui vlceribus scatebat & propè eius hostium stabat largiri vellet. An Hypp. illos diuites magis quam pauperes diis gratos esse dicit? qui prompte & leto animo diis immolant arasque & templa deuoto ac puro animo adeunt, non autem ab ambitione

vel

vel timore coacti, quamobrem Zacheus ille seruatori nostro gratus fuit qui è sycomoro hilaris ac festinans descendit & ipsum in domum suam libenter duxit bonorumque suorum dimidium leto animo pauperibus dedit & si quem defraudauerat quadruplum illi libēter restituit, qua de causa salutem domui illi ea die adlatam fuisse seruator noster dixit, pauperes autem quos Hypp. deos incusare dicit quod sibi pecunias non largiantur iracundi & peruersi pauperes sunt, qui fortunam suam ferre nolunt malo illi latroni similes qui cum propè dominum cruci adfixus esset illi maledicebat, & de iis pauperibus hic Hypp. loquitur non autem de probis pauperibus qui egestatem suam patienter tolerant vt Ennius de quo Marcus Tullius in maiore Catone dicit, *At annos septuaginta natus (tot enim vixit Ennius) ita ferebat duo quę maxima putantur onera paupertatem & senectutem vt eis penè delectari videretur*, sunt que hi bonolIii latroni similes qui de cruce cum propè dominū adfixus erat ipsum laudabat, orabat eique benedicebat, Arist. quoque 4. probl. 29. secti apud bonos homines pauperes sæpius esse quam apud diuites dixit. Concludit deinde rursus Hypp. dicēs omnia sacra esse quod à natura fiunt, & hic Scytharum morbus natura fieri eo modo quo ipse dixit videlicet à curatione illa quam ipsi articulorum doloribus adhibent, quibus propter assiduam equitationem ipsi laborant, prosequitur deinde Hypp. improbare eorum opinionem qui morbos quosdam à diis hominibus mitti existimabant, eam namque multi homines tempore Hypp. habebant, ideoque Hypp. illam pluribus rationibus destruere conatur, & supponendo illud quod ipse superius dixit & hi etiam affirmant qui morbos à diis hominibus mitti credunt videlicet deos ab hominibus coli ac suspici gratum habere, cum igitur diuites magis quam pauperes deos colant ac venerētur diis magis quā pauperes grati esse deberent, siquidem cum pecuniis abundent templa struere plura & maiora sacrificia facere atq; donaria suspendere magis quam pauperes valent, ideo non videntur dij morbos illis mittere debere sed pauperibus qui minus quam diuites illos colunt, at Scythis secus euenit, nam hoc affectum vt Eunuchi fiant diuites ac nobiles magis quam

pauperes laborant, aliam rationem rursus Hypp. adducit vt prædictam opinionem destruat quæ talis est, non solum pauperes minus quam diuites deos colũt verum etiam sępe ipsos incusant quod sibi pecunias non largiantur, quamobrem probabile est huius peccati pœnam à diis substinere debere & ideo hoc morbo & aliis quoque magis quam diuites laborare; at secus se res habet, nam diuites vt superius Hypp. dixit ab hoc malo magis quam pauperes affliguntur, deinde cętęrorum hominum exemplis sententiam suam Hypp. confirmat, inquit enim in iis locis vbi homines multum equitant illic articulorum & coxẽdicum dolores plurimos fieri eosque concubitui inutiles esse, quod quia sensu comprehendi potest Hypp. non probat, cur autem illi qui continuò equitant coxendicum & articulorum doloribus laborent & Eunuchi fiant superius dixi, quia igitur Scythæ multum equitant immo ferè semper, ideo à coxendicum & articulorum doloribus opprimuntur & ex illis plurimi Eunuchi fiunt. Alia ratione deinde sentẽtiam suam Hypp. probat quę à veste quadam qua Scythę vtuntur, sumitur, dicitur autem hæc vestis fœminale quo penes ita tegitur vt illum manu contrectare & calefacere nequeant, quod in regione frigidissima vt Scythia est eos concubitui minime idoneos reddit, quamobrem ipsi præ diuturna equitatione lassitudine corripiuntur, & ab ea & frigore impediuntur ne Venerem & eius dulcedinẽ concupiscant, sed Eunuchos fieri ante omnia desiderent. Verum si Scythę præ lassitudine atque frigore Venerem & concubitum non concupiscunt suauitatisque coitus obliuiscuntur, cur Eunuchos fieri ante omnia moliuntur & optant vt Hypp. asserit? An quemadmodum cum famem non patimur & saturi sumus cibos auersamur? ita Scythæ cum concubitum non appetant venerea omnia auersantur & ab illis quam maxime fieri potest remoueri cupiũt, ideoque Eunuchos fieri optant, vel potius vt paulo supra Hyppoc. dixit cętęri Scythæ Eunuchos venerantur & colunt qua de causa cum Venerea omnia fastidiant eius honoris illecebris illecti Eunuchos fieri ante omnia desiderant.

CAPVT

CAPVT DVODECIMVM.

RELIQVM vero genus quod in Europa, ipsum à se ipso & magnitudine & figura diuersum est propter temporum anni mutationes quæ magnæ & frequentes fiunt, & æstus graues & hyemes prœualidæ ac imbres multi & rursus squalores diuturni & venti ex quibus mutationes multas atque omnigenas verisimile est sentiri, & generationem in concretione genitalis seminis aliam & non eandem eidem fieri æstate & hyberno tempore, pluuioso & squalido, propterea species differunt vt puto Europæorum magis quam Asianorum, & magnitudines ipsas à seipsis in vnaquaque vrbe diuersissimas esse. forme enim plures genituræ in concretione innascuntur in mutationibus temporum quæ frequenter fiunt quam in propinquis & similibus.

Promiserat superius Hyppoc. velle se dicere de iis quibus Asiatici homines ab aliis hominibus & à seipsis differunt, id quod ipse præstitit, deinde de iis quibus Europęi ab Asiaticis & a seipsis diuersi sunt dicere aggressus est, & primũ de Scythis dixit eosque à cęteris Europęis & forma & moribus magnopere differre ostendit, nunc autem de cęteris omnibus Europęis simul dicere incipit, quod cęteri Europęi non ita à cęteris hominibus differant sicut Scythæ, inquit igitur reliqum hominum genus post Scythas quod Europam incolit magnitudine & figura plurimum inter se differre, nec solum hi qui diuersas Europę prouincias incolunt, verum etiam hi qui easdem vrbes habitant magnitudine & figura magnopere à seipsis dissidẽt quod Scythis non vsu venit, ipsi enim licet forma & magnitudine à cęteris hominibus differãt, attamen vnus Scytha alij similis est, cuius rei causam Hypp. adducens ait, hoc ideo Europęis euenire quod multę magnæ ac frequentes cœli mutationes in Europa fiunt, nam in nonnullis Europę prouinciis seuissimę hyemes sunt, vt in Germania in nonnullis autem grauissimi æstus vt in Hyspania, interdum imbres largi, deinde squalores diuturni vt in Italia, & vbique in Europa frequentes vehementesque venti spirant a quibus multas & omnigenas mutationes idest omnium generum verisimile est Europęos pati, & genituram ipsam dum semen genitale concrescit eiusdem etiam hominis non esse eandem idest easdem qualitates non habere æstate & hyeme pluuioso

&

& squalido tempore, quamobrem species & magnitudines Europęorum non solum in diuersis Europę prouinciis sed in eadem prouincia & in eadem quoque vrbe magis inter se dissident quam Asiaticorum, quod in Asia vt superius Hyppoc. ostendit non ita magnæ & frequentes cœli mutationes sunt vt in Europa, quapropter in hac prouincia plures genituręq; qualitates ac formæ in eius concretione innascuntur, nam in magnis ac frequentibus aeris mutationibus plures genituræ qualitates & formæ fiunt quam in cœlo quod sibi ipsi simile sit & tempora ipsius natura sibi propinqua sint, ideo autem à magnis & frequentibus cœli mutationibus genitura mutatur quod ab his mutationibus humores agitantur & modo calidiores modo humidiores vel frigidiores aut sicciores, crassiores vel tenuiores fiunt, vt temporis mutatio à calido in frigidum vel ab humido in siccum aut à crassiore in tenuius vel conuersim fiunt, id enim quod in loco positum est quod ab eo continetur loci mutationes necessario sequitur, cur autem in Europa frequentiores ac maiores cœli mutationes fiant quam in Asia causa est quod Europę regiones situs magis diuersos habent quam regiones Asiæ, è regionibus namque Europę quasdam planas pratis, fluminibusque refertas videmus vt Pannonia inferior est quę hodie Vngaria appellatur, & Sarmatia Europęa quæ hodierna die Pollonia dicitur, alias vero montuosas vallibusque refertas esse vt Germania Gallia, atq; Italia, alias frigidissimas, vt tota Germania inferior peninsula Batauorum quæ hodie Holanda vocatur, & Cimbrica Chersonesus quæ hodie Dania appellatur quod sub vrsis sitę sunt, alias vero calidissimas & siccissimas quod meridiem spectent vt Hyspania, alias vero cęteris magis temperatas vt Italia & Achaia, quod non ita in meridiem spectent vt Hyspania neq; ita septentrionem versus sitæ sunt vt prouinciæ illę, septentrionales de quibus dixi, in eadem quoque Europæ prouincia magna cœli eadem ratione diuersitas est, & enim Apulia quæ Italiæ regio est longe calidior ac siccior est Gallia togata & Aetruria, qua de causa in Europa vt dictum est frequentiores ac maiores cœli mutationes fiunt quam in Asia. Sed qua ratione in vna & eadē vrbe diuersitas situs ea esse potest

quæ

quæ ita magnas & frequentes cœli mutationes facere valeat, vt homines figura & magnitudine magnopere inter se dissideant quod tamen Hypp. in hoc tex. asserit? An quia partes vnius & eiusdem vrbis interdum maxime inter se differunt, aliqua enim vnius vrbis pars sub monte est, alia vero planitiem spectat vt Florentia est, cuius illa pars quæ meridiem spectat sub ipsis montibus sita est, ea vero illius pars quæ ad Boream & occidentem solem vergit in plano & à montibus magis remota est quod etiã Bononiæ accidit, cuius vna pars sub montibus reliqua vero longe ab eis sita est, cum igitur partium vnius & eiusdem vrbis situs inter se multum dissidẽt nil mirum si corpora eorum qui vnam & eandem vrbem incolunt magnitudine & figura ab inuicem differunt, sicuti inter se corpora eorum hominum dissident qui prouincias habitant quæ diuerso modo sitę sunt & à variis & diuersis morbis qui longe inter se differunt affliguntur, nec solum plures homines à cœli tempestatibus mutãtur, sed vnius & eiusdem hominis genitale semen alio modo se habebit æstate & squaloribus, alio autem modo hyberno atque pluuio tempore vt bene Hyppoc. dicit, nam æstate & siccitatibus semen crassius erit quod tenuiores illius partes à vi caloris resolutę sint, pluuio autem ac hyberno tempore quod à nimio humore dilutum est tenuius erit. Mutatur autem genitale hominum semen non solum à magnis cœli mutationibus sed etiam à ratione victus, nam alio modo se habebit genitale semen cum aliquis ebrius vel vinolentus Venerem exerceat, alio autem modo cum ieiunus ac sobrius, quamobrem Arist. 5. probl. tertij secti dixit ebriorum genitale semen magna ex parte infœcundum esse, quod ab humore qui in viro est nimis tenue ac dilutum fiat & nono probl. quarti secti ieiunos celerius cõcumbere quam saturos affirmauit, quod meatus per quos genitale semen transire debet inaniores habent quam repleti, quod etiã Hypp. 4. tex. 6. libri de morbis vulgaribus arbitrari videtur cum dicit, labores, cibi, potus, somnus, res venerea, omnia moderata, nam si res venerea post labores cibos potũ & somnum exerceri debet manifestum est eam ieiuno stomacho fieri debere. animaduertendum est eam tex. partem in

qua

qua Hyppoc. rationem reddit cur magnę & frequentes cœli mutationes homines diuersæ magnitudinis & figuræ facit in impressis codicibus ita legi αἱ γὰρ φθοραὶ πλέιονες ἐγγίνονται τοῦ γόνου &c. quę verba si in Romanũ sermonem transferãtur significant *plures namque corruptiones genitalis seminis innascũtur &c.* at in correctionibus illis de quibus pluries dixi ea pars tex. ita legitur αἱ γὰρ μορφαὶ πλέιοες εγγίνονται τοῦ γόνου &c. quæ verba latina lingua significant formę enim plures genituræ innascuntur &c. quam scripturam ego magis probo nam magnæ & frequentes cœli mutationes nõn semper genitalis seminis corruptiones faciunt, sed genituręformę ac qualitates varię à prædictis mutationibus sẽper fiunt, & hæc Hypp. sentẽtia non opponitur sentẽtiæ Arist. quæ 3. cap. quarti libri de generatione animaliũ habetur, ibi enim Arist. causas similitudinis & dissimilitudinis hominũ ad varios genitalis seminis motus refert, eorumque motuum diuersas solutiones quæ proximæ & immediatę similitudinis & dissimilitudinis causę sunt, Hypp. vero similitudinis & dissimilitudinis quantitatis & figuræ hominum in varias victus rationes & cœli magnas & frequentes mutationes refert, veluti in remotas & mediatas causas quæ ad hos varios genitalis seminis motus apprime necessaria sunt, quod ipsi faciendum fuit nam cum in hoc libro de aere agat ipsius vires enarrare oportuit.

Et de moribus eadem ratio, ferocitas, sinceritas, excandescentiaque tali naturæ innascitur, animi namque perculsiones quę frequenter fiunt mentis feritatem inducunt, lenitatem vero & mansuetudinem obscurant, quapropter eos qui Europam incolunt meliore animo affectos esse puto iis qui Asiam habitant, Etenim cum res semper similiter se habet desidia, cum autem mutatur exercitatio & corporis & animæ inest, & à quiete quidem & desidia timiditas, ab exercitatione vero & laboribus magnanimitas crescit.

Hypp. supra proposuerat velle se de magnis differentiis dicere quibus non solum corporibus sed animis quoque homines magnopere inter se dissident, quapropter de corporibus moribusque Asiaticorũ superius dixit, deinde de forma moribusque Scytharum, nunc ad mores cęterorum omnium Europeorum venit, cum de magnitudine & forma ipsorum dixerit & inquit, eandem esse rationem de moribus quæ de

corpo-

corporibus est, nam sicuti corpora eorum qui Europam incolunt magnitudine & figura inter se differunt & ab Asiaticis quoq; ita & illorum mores inter se & à moribus Asianorum eadem de causa differunt, cœli enim mutationes frequentiores & maiores in Europa quam in Asia fiunt, quãobrem quid nam mos sit videre opus est, mos igitur est qualitas earũ potẽtiarum animi quæ cupientes vel desiderantes dicũtur, nam circa honorum, voluptatum, vel pecuniarum cupiditates aut circa timorem & audaciam versantur, quæ omnia ad prædictas animi potentias pertinent, è moribus vero quidam boni quidam vero mali sunt, mali, animi vitia vel morbi dicuntur, boni autem duplices sunt quidam enim à natura nobis insiti sunt, alij vero à philosophia & eruditione in nobis fiunt vt bene Gal. 36. cap. artis medicinalis asserit, & quamuis mali quidam mores etiam nobis à natura inditi sint vt in libro quod animi mores temperaturam corporis sequantur Gal. opt. demonstrat, attamen mali mores numquã à philosophia & eruditione in nobis fiunt. Horum naturalium morum qui in hominibus cernuntur vestigia quædam in animantibus quæ ratione carent videntur, vt rapacitatis in lupo, ferocitatis in tygribus, timiditatis in ceruis, fortitudinis in leonibus vt bene Arist. cap. primo 8. libri de hyst. animalium animaduertit, de moribus igitur qui nobis à natura inditi sunt in hoc loco Hypp. loquitur & inquit, eos à situ & natura loci quem homines incolunt variari, Europęosque ideo iracundos, feroces ac maiore animo præditos esse quam Asiatici sint, quod in Europa frequentiores ac maiores cœli mutationes quam in Asia fiant, frequentes autem & magnæ cœli mutationes homines feroces & animosos faciunt corpusque & animũ exercent mentisque lenitatem & mãsuetudinẽ corporisque ignauiam & desidiam obscurant, ex altera parte tempestatum similitudo & trãquillitas timiditatem & desidiam augẽt, quod mutationibus calor innatus moueatur ac ventiletur, qua de causa ipse feruet, præsertim calor qui circa cor est, nam cor naturalis caloris fons est, quamobrem calor ipse augetur corpusque firmius redditur quam prius esset, audaciamque ac fe
ritatem & bonum animum quæ calori comitantur tempesta-
tum

tum mutatio efficit, Arist. quoque primo probl. 30. secti in hominibus mores quosdam à natura inesse firmissimis argumentis probat, & primo probl. 14. secti inquirit cur homines qui loca vehementer calida vel frigida incolunt feris moribus & aspectibus sint, & huius effectus causam ad motum quem excessus intemperierum corpori & animę indiunt refert, vt etiã Hypp. facit, eundem vero effectum à contrariis causis fieri posse superius demõstraui, quamobrem nil mirum si morum & aspectus feritas à vehementi æstu & à maximo frigore fit & ab hoc quidem in interioribus corporis partibus calorem constringendo, ab illo vero acuendo ipsum & acriorem faciendo, acutum vero calorem feritatem morum facere iam dictum est.

Propter hoc pugnaciores sunt hi qui Europam incolunt, & propter leges, non enim regibus subditi sunt vt Asiani, vbi enim sub regibus degitur ibi timidissimos esse necesse esse, dictum est à me & prius, animi namque in seruitutem ducti periclitari volentes sponte nolunt propter alienam potentiam, ij vero qui sui iuris sunt pro se ipsis pericula suscipiunt, & non pro aliis volentes contendunt, & ad grauia veniunt, & enim victorię prędia ipsi reportant, sic leges non minimum magnanimitatem operantur. De Europa quidem igitur & Asia in summa & totum sic se habet.

In tex. qui hunc proxime antecedit Hypp. naturales mores eorum qui Europam incolunt enarrauit, eosque ab Asianorum moribus differre ostendit, quas differẽtias regionum diuersæ naturæ faciunt, nunc ostendit naturales mores Europęorum à legibus & institutis eius prouinciæ augeri. nam cũ Asiatici regibus pareãt, europeis magis timidi sunt ac minus strenui, cur aũt ij qui sub regibus viuũt timidiores ac segniores sint illis qui sui iuris sunt superius declaraui cũ hanc eandem sentẽtiam quam in hoc loco Hypp. repetit exponerem, quam sentẽtiam Arist. quoque cap. 7. septimi libri politicorũ cõprobare videtur cũ Asianos Europęis comparat dicitque, Europęos animi ferocitate & virilitate asiaticos superare, ab iisdem tamen arte & ingenio vinci, quo fit vt Europęi in libertate, Asiatici vero in seruitute perseuerent, nec solum legibus & institutis naturales hominum mores augẽtur, sed etiam ratione victus & consuetudine cuius vires maximas esse superius

rius ostendi. Brutorum quoque naturales mores consuetudo auget, hæc enim cum alicui rei assuescũt valde promptiora sunt ad illud operandum quam essent priusquam illi rei assuescerent, quamuis natura apta nata essent ad illud idem faciendum, quamobrem videmus lupos cum humanis carnibus vesci cõsuescunt longe ferociores esse quam essent antequam illis vesci assueti essent, corpora verò quæ inanimata sunt licet millies aliquid faciant non mutantur quod mores non habent, quapropter si millies sursum lapidem moueres numquam nisi violenter sursum moueretur, & si millies lapidem remouendo prohibens deorsum moueas semper eadem de causa deorsum eodem pacto mouebitur vt bene Arist. 4. cap. secundi libri moralium ad Eudemum animaduertit, inquit deinde Hypp.

Sunt autem in Europa diuerse nationes quę magnitudinibus, formis & fortitudinibus differunt, quæ autem eas dirimunt hęc sunt de quibus in prioribus dictum est, amplius autem manifestius dicam.

Postquam Hypp. de differentiis quæ inter Asiaticos & Europeos sunt in vniuersum dixit, nũc de differentiis quæ inter ipsos Europeos sunt particulatim agit, quoniam Europęi magis inter se differunt quam Asiatici vt superius dixi, haud secus ac Gal. postea in libris de simplicium medicamentorum facultatibus fecerit, nam ipse in prioribus libris de medicamentorum facultatibus in vniuersum dicit; deinde ad ea quæ in parte sunt trãsit ac de omnibus medicamentis quæ ipse nouit diligenter agit, in Europa igitur multa hominum genera & diuersa esse Hypp. dicit quę magnitudine forma & virilitate magnopere differunt, huius autem differentiæ causæ sunt illæ eædem de quibus superius dixit, frequentes scilicet & magnæ cœli mutationes propter diuersos prouinciarum situs quæ in Europa sunt, de quibus in vniuersum superius egit, nunc vero manifestius de iis causis velle se dicere autumat quod particulatim latiusque deipsis aget.

Quicumque quidem montanam regionem asperam & nudam & aquosam habitant, tempestatumque mutationes valde differentes ipsis fiunt, hic formas magnas & ad laborem & virilitatem aptas natas esse verisimile est, & agreste ac ferox tales natura non minimum habent.

Incipit

Incipit Hypp. differentias prouinciarum Europæ particulatim enarrare & inquit, Europęos illos qui montanas regiones, aſperas, nudas & aquoſas incolunt, magnaſque cœli mutationes ac valde differentes habent forma magnos, viriles, promptoſque ad labores eſſe, cum autem ipſe dicit regionem aſperam eam ſaxoſam & accliuem eſſe ſignificat, cum vero eam nudam appellat illam præ lapidum ſiccitate ac duritie arboribus ac plantis conſitam non eſſe indicat, cum igitur hæc regio alta aſpera & nuda ſit in ea magnas cœli mutationes ac frequentes fieri neceſſe eſt, nam quod alta & nuda eſt venti in ea vehementer ſpirant, nec ab arboribus & ſiluis impetus eorum frangitur, præterea eadem de cauſa ſæpius in ea neceſſario ningit, nam in montibus frequentius vingit quam in locis humilibus ac planis, quamobrem has regiones frigidas eſſe neceſſe eſt, & rurſus calidas quod radij ſolis propter terræ nuditatem & aſperitatem vehementer reflectantur, has autem magnas atque frequentes cœli mutationes promptitudinem ad labores, virilitatem, agreſtes ferinoſque mores comitari ſuperius Hypp. demonſtrauit, magnæ vere formę in hac regione ideo ſunt quod aquoſa eſt multoque humore abundat, quamobrem formatrici facultati materia non deeſt quam ipſa deinde effingere poteſt, quod corpora eorum qui hanc regionem incolũt propter magnas cœli mutationes robuſta ſint vt ſuperius oſtenſum eſt & hac de cauſa Ariſtot. 7. probl. 14. ſecti in locis æditis & apertis homines tardius ſeneſcere & conſequenter longioris vitæ eſſe dicit quam ſint homines qui loca paluſtria & caua incolunt, quod aer locorum qui æditi & aperti ſunt ſæpe mutatur quapropter non putreſcit, ſenectus vero putredo quædam eſt, at aer locorum qui caui & paluſtres ſunt ſemper manet nec mutatur ideoque facile putreſcit, præterea aer qui in altis & apertis regionibus eſt propter agitationem purus eſt, quoniam à malis vaporibus qui in eo interdum ſunt expurgatur, at in cauis & paluſtribus locis è contra ſe res habet, nam aer ibi ſtat, ideo à vaporibus qui à paludibus attolluntur afficitur nec ab ipſis expurgatur quare emarceſcit.

Quicumque vero concauas, palustres, æstuosas, & pratenses regiones incolunt, & pro maiori parte ventorum calidorum quam frigidorum participāt & calidis aquis vtuntur, hi vero magni quidem non sunt neque proceri sed largi, carnosi, nigris capillis & ipsi magis nigri quam albi, pituitosi vero minus quam bilioſi, virilitatem autem & laborum patientiam in anima natura quidem non similiter habent.

Postquam Hypp. naturas eorum enarrauit qui montanas, asperas, nudas & aquosas regiones habitant, in quibus cœli mutationes valde differentes fiunt, nunc ad incolas transit concauarum regionum pratensiumque & æstuosarum quæ ventis calidis maiori ex parte patent, & calidas aquas habent quibus earum regionum habitatores vtuntur, sunt autem hæ regiones ferè prorsus contrariæ illis de quibus in tex. qui hunc proxime antecedit Hypp. dixerat & inquit, harum regionum incolas nec magnos nec proceros esse sed largos & carnosos quod nimium illum humorem quo eorum corpora abundant natura effingere non possit & in altum ducere, at largos & carnosos esse quoniam humor suapte natura in profundum & latum mouetur vt videmus flumina deorsum & in latus si alueus pateat à seipsis suapte natura moueri, carnosi vero sunt quoniā formatrix facultas licet membra recte formare & in altum erigere non possit carnem saltem gignere valet, attamen non ita valens est vt membra longa & procera efficere possit, quod à nimio regionis æstu & calidis ventis debilitatur ac laxatur, præsertim cum calidis aquis eius habitatores vtantur. Sed qua de causa in his regionibus aquæ calidæ sunt? An ab æstu & ventis calidis eæ aquæ calefiunt? presertim quod illæ non mouentur quod regio concaua est, prata quoque quę in ea regione sunt diutius aquas in se continent, quapropter ab æstu facile calefiunt. Sunt autem harum regionum incolæ magis nigri quam albi nigrisque capillis, cumque in hoc tex. Hypp. dicat harum regionum habitatores magis nigros quam albos esse, eos nō omnino nigros sed fuscos esse significat, qui color pullus etiam à latinis dicitur, Florentiæ vero tanè vulgò appellatur, quo colore sunt Aphri illi qui eam Aphricę partem incolunt quę propè mediterraneum mare est atque orientē solem spectat vulgoque hi

mori bianchi Florentiæ dicuntur, est autem hic color similis colori terræ, quamobrem antiqui in funeribus pullatis vestibus vtebantur, fit autem hic color ex albo & nigro simul mixtis vt Gal.6.cap.primi libri de sympt.causis affirmat, verum idem Gal.9.cap.14.libri de morbis curandis fuscum colorem inter rubrum & nigrum medium esse affirmat. An cum Gal. fuscum colorem ex albo & nigro fieri autumat, colores illos dicit ex quibus cum simul miscētur fuscus color fit, cum aūt ipse fuscum colorē medium esse inter nigrū & rubrū affirmat de apparētia ipsius coloris fusci loquitur, apparet.n. fuscus color medius inter nigrum & rubrū colorem? sunt ergo prædictarum regionū incolę fusci, quod cum sub crasso aere degāt, crassum, melancholicum & atrum sanguinem gignunt, cuius etiam tenuiores partes à calidis ventis quos sæpius quam frigidos in illis flare Hypp. dicit & ab æstu qui in ipsis est consumuntur, ideoque sanguis ille craſſior fit, qui deinde ad nutrienda eorum membra & ad cutim per venas à natura transmittitur eosque homines fuscos facit & hac eadem causa hi iidem homines nigris capillis sunt quod ex suliginoso excremento capilli gignuntur quod à crasso & melancholico sanguine attollitur. Id tamen animaduertendum est hos homines licet nigris capillis sint attamen crispos non esse vt Aethiopes sunt, si quidem regio humida est, quod concaua est & pratensis, ideoque aquas diu conseruare potest, quæ aerem adhuc humidiorem faciunt, præsertim cum ipse non admodum moueri possit, Aethiopia vero calida sicca & arenosa est, quare homines crispos ac nigros gignit. Sunt quoque concauarum ac pratensium regionum incolę magis bilioſi quam pituitoſi quod æstu & calidis ventis subtilior sanguinis pars aduritur & bilis fit, nec viriles sunt neque ad labores prompti, quod à calidis aquis quas bibunt à ventis calidis qui in illis spirant & ab æstu vires eorum imbecilles fiunt, quamobrem nec labores pati nec viriles esse valent, quod hę virtutes ab innati calidi copia fiunt, quod in eis causa iam dicta debile est. Sunt autem prædictæ regiones æstuoſę quod perflatum non habent quia concauæ sunt, aer vero ipsarum crassus & nebuloſus est quamobrem calor solis in eo multus

im-

imprimitur ac retinetur & regionem feruidam & æstuosam facit. Animaduertendum est tex. hunc varie legi,& primum in codicibus græcis impressis ita legitur οὗτοι δὲ μεγάλοι μὲν οὐ καλὰ ἦσαν οὐδὲ καλοδίαι, quæ verba si in Romanum sermonem transferantur significant, hi magni quidem esse non possunt neque bene compositi & longi, & hanc lectionem probant Ianus Cornarius & latinus interpres, quamuis Cornarius duo verba legat quæ latinus interpres non legit videlicet ac erecti, at in correctionibus illis de quibus sæpius dixi hæc pars tex.ita legitur οὗτοι δὲ μεγάλοι μὲν οὐκαλὰ ἦσαν οὐδ' εὐμήκεες, quæ verba si verbum verbo reddatur significant, hi vero magni quidem non sunt neque proceri,quam lectionem ego magis probo, clarior enim est prima,nec aliqua veluti circumlocutione eget. præterea pars ea tex. quæ huic proxime succedit in impressis codicibus ita legitur ἐς εὖρος δὲ πεφυκότες, quæ verba si in latinam linguam transferantur significãt, sed in amplitudinem à natura producti, quam lectionem latinus interpres & Ianus Cornarius probant, at in his iisdem correctionibus hæc pars ita legitur εὐρέες δὲ, quæ verba sed largi significant, quam lectionem ego magis probo eadem de causa qua & illam quæ hanc proxime antecedit magis probaui. Vltima quoque tex. pars in impressis codicibus ita legitur τότε ἀνδρῶδον καὶ ταλαίπωρον ἐν τῇ ψυχῇ φύσει μὲν οὐκαλὸ μοίως, quę verba significant virilitas autem & tollerantia non æque ipsis in anima à natura inest, quam lectionem latinus interpres & Ianus Cornarius probant, at in prædictis correctionibus omnia similiter ac in impressis codicibus leguntur excepto vltimo tex. verbo quod in ipsis non ἐνέιη sicut in impressis legitur sed ἔχοιεν quod verbum significat habent, quam lectionem ego magis probo licet parui referat vtram lectionem magis probemus, quod si secundam lectionem recipiamus tex.ita legere oportet virilitatem autem & laborum patientiam in anima à natura non similiter habent quod qua de causa fiat superius dixi.

Lex autem adiecta hæc in eis operabitur, & siquidem flumina in regione sint quæ stagnantes & pluuiam aquam inde deriuent, hi salubres & nitidi sunt.

In tex. qui hunc proxime antecedit Hypp. dixerat, homines qui concauas, pratenſes ac æſtuoſas regiones incolunt, in quibus magis calidi venti quam frigidi ſpirant virili animo non eſſe neque labores tollerare poſſe nec proceros ſed carnoſos largoſque eſſe, nunc quæ nam has animi corporiſque eorum qualitates immutare valeant, enarrat & inquit, leges & inſtituta ignauiam ab animis eorum expellere in illiſque virilitatem & laborũ tollerantiam inducere poſſe, leges enim pœnæ metu malos mores coercent, quamobrem leges à malis moribus ortum habere ſiquis dixerit à vero non aberrabit, videmus enim in nonnullis vrbibus ſæpiſſime malos mores creuiſſe quos vt homines tollant leges ferunt, quæ pœna malos ciues afficiant, hominibus vero qui à malis moribus recedunt ac bene operantur præmia conſtituunt, qua de cauſa leges conſuetudinem bonam faciunt, cum primum homines à malo recedere & bonum facere cogant, conſuetudo deinde bonum habitum facit, quem cum homines habent facillime & cum magna voluptate bene operantur, quapropter ſi homines qui concauas, pratenſes & æſtuoſas regiones incolunt natura laborum tollerantes nec viriles ſunt à legibus tamen tales fieri poſſunt. Corpora vero eorum ſalubria & nitida ideſt bene colorata efficient flumina quæ in ea regione erunt quę ſtagniantes & pluuias aquas quę in ea regione ſunt quod ipſa concaua & decliuis eſt, euehunt, quamobrem cœlum tenuius ac magis purum fit quam eſſet ſi prædictę aquæ in ea perſiſterent, præterea à fluminibus auræ frigidæ ſemper ſpirant quæ æſtum qui regiones illas affligit frigefaciunt ac temperant, quo fit vt corpora incolarum ſalubriora ac firmiora fiant, quod naturale illorum calidum non ita in halitum digeratur ſicut digereretur ſi æſtus regionem illam affligeret, nec à frigidis ventis temperaretur. Ex quibus deprehendi poteſt oppida, vicos & vrbes illas quæ propè flumina ſitæ ſunt dummodo illa continue fluant ita vt ſtagna & paludes nullas faciant ſalubres eſſe, ſi vero ſtagna vel paludes quamuis paruas ea flumina faciãt loca illa quæ circa talia flumina ſunt in ſalubria & morbifera reddi, vt elapſis annis planitiei illi quæ propè Florentiam eſt orientem verſus & vulgo

il

il pian di Ripoli dicitur euenire vidimus, per quam cum Arnus fluuius qui Florentiã interluit late diffunderetur, quamobrem aqua ipsius in multis eius planitiei locis stagnaret aer ipsius morbosus factus erat & iam contagio illa aerem colliũ qui planitiem illam circumdant & amœnissimi sunt inficere cœperat, sed post quàm Cosmi Medicei primi Tuscorum Magni ducis opera flumen illud plantis virgultis & arboribus in ea planitie consitis & aliis obiicibus oppositis flumen in proprium alueum repulsum est & continuo rapide fluit & plius ipsius nullibi in planitie illa stagnat locus ille non amaqua grauis est licet iuxta flumen situs sit.

Si vero flumina non fuerint, aquas autem puteorum stagnantes olidasque biberint, tales ventri ac lieni nocuas esse necesse est. quicumque autem regionem altam, æqualem, ventosam & aquosam incolunt, formæ vtique magnæ & sibi ipsis similes, animi vero molles & mansueti illis sunt, qui vero tenuia, inaquosa & nuda loca habitant & quę tempestatum mutationibus non pateant, in hac regione formas asperas & robustas magisque flauas quam nigras & mores irasque pertinaces atque contumaces esse probabile est.

In tex. qui hunc proxime antecedit Hypp. dixerat, si in regionibus concauis æstuosis & pratensibus quæque calidis ventis quam frigidis magis expositæ sint flumina fuerint, omnia illa mala quæ in prædictis regionibus fieri consueuerunt cessare, nunc autem dicit has regiones de quibus superius dixit si fluuiis caruerint ita vt earum incolæ puteorum aquas vel stagnantes & olidas bibere cogantur, ipsos necessario lienis ventrisque morbis hac de causa laborare, superius enim dixi qua ratione stagnantes & male olentes aquę corporibus hominum obsint. Cum autem Hypp. dicit puteorum aquas, eas puteorum aquas intelligit quorum fontes propè terrę superficiem sunt, adeo vt ab aeris mutationibus alterẽtur quas ipsę paulò supra sublimes appellauit, multę vero sunt puteales aquæ quę quod fontes earũ longe à terræ superficie erum punt leuissimę sunt, quamobrem ab aeris mutationibus non afficiuntur, immo in nonnullis puteis ęstate cum feruidi ęstus sunt aquæ crescunt, quod prę vehementi frigiditate maior va porum copia in aquam mutetur, vel aliunde eò fluant veluti in locum qui eos conseruare valeat, & de his Hypp. nõ loqui-

tur, Vbi animaduertendum est Hypp. hic non dicere, ideo homines qui regiones concauas, æstuosas, calidisque ventis magis quam frigidis expositas habitãt calidisque aquis vtuntur si flumina desint lienis ventrisque morbis laborare, superius enim ipse dixerat hac de causa hos homines non esse proceros sed carnosos nigrisque capillis & magis nigros quam albos, & ignauos, cęterum si prędictarum regionum incolę quę fluminibus carent aquas putealeș, stagnãtes & olidas bibunt lienis & ventris morbis laborare, quod hæ aquæ his membris obsint, & ita causam quod hæc membra male se habeant in has malas aquas non autem in cœlum referendam esse Hypp. autumat. Si qui vero regionem altam æqualem, ventosam & aquis abundantem incolunt, ij forma procera, sibique ipsis similes & molli mansuetoque animo sunt, cumque Hypp. regionem hanc ventosam esse dicit, intelligendum est frigidos ventos in ea flare, siquidem harum regionum incolæ proceri sunt, ventos enim calidos homines magnos proceroſque facere non posse paulò supra Hypp. asseruit, & 5. aphoris. tertij secti Austrum qui ventus calidus est insalubrem esse affirmauit, quia igitur hæc regio alta est ideo cœlum purum habet, quia humida quoniam aquosa est & frigidi venti in ea spirant ideo homines magni & proceri sunt quod calor naturalis ab æstu nõ debilitatur, quamobrem humorem illum quo regio illa abundat formare & homines magna membra habentes gignere potest, at quia æqualis est ideo magnæ tempestatum mutationes in ea fieri non possunt, regionem autem ęqualem appello quę vel tota plana vel tota montuosa nec vallibus diuisa sit, cum igitur in hac regione magnæ nec frequẽtes aeris mutationes non fiant homines sibi ipsis similes sunt, animoq; molli & mansueto, nã sicuti frequentes & magnæ cœli mutationes homines viriles, fortes ac audaces faciunt, ita cœli trã quillitas & quies homines molles mãsuetosque faciunt vt superius demonstraui. Si vero regio tenuis fuerit idest sterilis & macra, sicca & nuda, nec tempestatum mutationibus obnoxia incolas asperos robustosque & magis flauos quam nigros moresque eorum ac iras pertinaces atque contumaces facere probabile est, nam cum regio locus sit, locus vero ea

quæ

quæ in loco sunt conseruare debet, necesse est vt ij qui locum aliquem habitant loco illi similes sint, quia igitur regio macra, sicca, & nuda est ideſt siluis & arboribus carens, ideo incolas suos asperos duros ac robustos facit, quod dura & aspera sit quia sicca est, Cœlum quoque contumaces pertinacesque ipsos facit & qui difficulter à sententia sua recedant, in iraque sua diu permaneant, quod regio æqualis sit nec cœli frequentibus & magnis mutationibus obnoxia. Incolæ quoque huius regionis magis flaui quam nigri erunt, at qui nam color flauus sit superius dixi, cum igitur hęc regio æqualiter calida sit quod in ea nec frequẽter nec magnopere aer mutetur, nec admodum calida & æstuosa sit nam si talis fuisset id Hypp. dixisset vt paulò supra dixit cum de regionibus cõcauis ac pratensibus egit. Verum sicca sit, ideo calor naturalis incolarũ fuliginosa illa excrementa quæ in ipsis gignuntur & pilos faciunt in colorem medium inter album & nigrum mutat vt flauus color est.

Vbi enim horarum mutationes frequentissimæ & ipsę à se ipsis plurimum differentes sunt, illic formas, mores, & naturas magnopere diuersas inuenies.

Superius Hypp. proposuerat de maximis differentiis dicere quibus Asiatici homines à seipsis & ab Europęis differunt id quod ipse hucusque fecit, & quia Europęi magis à se ipsis distant quam Asiatici, ideo postea de quibusdam Europæ prouinciis particulatim egit, quæ maxime à seipsis distãt, earumque differentias enarrauit, nunc autem Hypp. perorat & inquit in summa vbicumque magnæ ac frequẽtes cœli mutationes fuerint ibi quoq; magnas formarum, morum ac naturarum diuersitates esse, siue hæ mutationes in Asia siue in Europa fiant & si Asiam cum Europa, cõferamus, siue Asię & Europę prouincias ad inuicem comparauerimus, hoc perpetuum erit, vt vbi frequentes ac magnæ & inter se diuersæ cœli mutationes fuerint ibi quoque magnæ animi & corporis hominum differentię ac diuersitates erunt.

Hę quidem igitur maximę naturę differentię sunt, deinde regio in qua quis alitur & aquę, vt plurimum enim formas & mores hominum regionis naturã comitari inuenies, vbicumque enim terra pinguis, mollis & aquosa, & aquæ valde sublimes ita vt æstate calidę hyemeque frigidæ, & anni tempora male dispo-

disposita sint, hic & homines carnosi, male articulati, humidi & ignaui, maloque animo vt in pluribus sunt, segnitiesque & somnolentia ipsis inest, ad artes quę capessendas crassi non subtiles neque acuti.

In tex. qui hunc proxime antecedit Hypp. quasi perorans dixit, vbi frequentissimę & plurimum inter se differentes cœli mutationes sunt, illic quoque formas, mores, & naturas hominum plurimum differre, quam sententiam ipse in hoc loco confirmat & inquit, ideo in prædictis regionibus naturas hominum maxime differre quoniam hæ maximæ differentiæ sunt naturæ, sunt autem hæ maximæ differentiæ naturę quod hæ cœli mutationes magnæ & frequentes plurimum inter se differunt, sunt etiam magnæ quia magnas hominum differentias faciunt, & longe maiores quam regiones & aquæ faciant, quoniam vehementiores sunt ad agendum quam regionum temperamenta & aquæ, ideo manifestius operantur quam regiones & aquæ operentur, quamobrem Hypp. regionum temperamenta & aquas secundo loco hominum naturas mutare affirmat, sensu enim cognoscimus formas & mores hominum regionum naturam comitari, nam regiones quæ terram pinguem idest fertilem habent & mollem idest quę facile ab humore afficiatur & lutum pingue faciat ac aquis abundet quæ sublimes sint idest quæ æstate calidæ sint hyeme vero frigidę quod à cœli frigore & calore frigefiant & calefiant, annique tempora male disposita sint idest vt naturale eorum temperamentum non seruent, in hoc loco homines carnosi, infirmis articulis & humidi laborumque impatientes & vt plurimum malo animo præ nimio humore sunt, qua ratione autem nimius humor homines carnosos infirmis articulis, humidos ac laborum impatientes facere valeat superius vidimus, verum cur homines male animatos facere potest? An quia sicuti ab anima corpus afficitur ita & anima a corpore, corpus igitur nimio humore abundans humor autem caloris vim hebetat & obtundit, corpora horum hominum frigidiora fiunt quam esse deberent, ideo simplicibus moribus esse non possunt, neque alacres quod hæ qualitates à calore fiunt, qua ratione fœminas maribus infirmiores, & inneruiores 11.cap.4. libri de hyst.animalium Arist. dixit, & cap. 1. noni libri de hyst.animalium

malium fœminam magis misericordem & ad lachrymam as propensiorem viro, sed magis inuidam, querulam, maledicentiorem, mordaciorem, anxiam, magis desperantem, impudentiorem & mendaciorem mare, marem vero iuuantiorem & fortiorem fœmina esse, nam & in mollium genere cum sæpia tridente icta est, mas fœminam adiuuat, fœmina autem mare percusso fugam arripit, Galen. quoque in libro quod animi mores corporis temperamentum sequantur inquit, animam siue immaterialis & æterna forma sit, siue materialis ac mortalis corporis sanitati ancillari, cum igitur corpora horum hominum frigidiora sint propter nimium humorem quam oporteat, nil mirum si animi quoque eorum male se habeant, præsertim cum anni horæ naturale temperamentum nõ seruent, omne enim quod præter naturam est malum est corporisque naturam & animi malam facit, & hic nimius humor eos somnolentos & segnes ad capessendas & exercendas artes tardos & pingui minerua, vt aiunt non autem acres & subtiles reddit vt superius vidimus, & inquit Hypp. in prædictis regionibus homines vt plurimum non autem prorsus malo animo esse, nam facile fieri potest vt ex incolis harum regionum nonnulli philosophia & eruditione se ipsos bonos & temperantes reddant. Animaduertendum est illam partem tex. & anni tempora male dispositа sint in impressis codicibus græcis ita legi videlicet καὶ τῶν ὡρέων καλῶς κέεται, quę verba si in latinum sermonem transferãtur significant & tempora anni bene disposita sunt, & hanc scripturam latinus interpręs sequitur, aliter autem hæc eadem pars legitur videlicet καὶ τῶν ὡρέων κακῶς κέεται, quæ verba si verbum verbo reddatur significant & anni tempora male disposita sunt, quã lectionem ego magis probo, nam ea quæ bene disposita sunt secundum naturam existunt, quæ vero secundum naturam sunt bona sunt, nec vnquam male sed semper bene operãtur.

Vbi autem regio nuda, bene munita, aspera, ab hyeme pressa, & à sole exusta est, hic sane asperi, fortes, articulosi, ingenui & hirsuti incolę sunt, & operositas acuta tali naturæ inest & vigilantia, moresque & irę pertinaces & contumaces, feritatisque magis quam mansuetudinis participes, & ad artes capessendas acutiores & circa res bellicas meliores, & alia omnia quæ è

terra

terra oriuntur terræ naturam comitari inuenies. Naturæ quidem & formæ maxime contrariæ sic se habent, ab his autem coniectans reliqua considerare non errabis.

Cum alterum ex oppositis iuxta alterum ponitur, ambo facilius cognoscuntur, ideo cum Hypp. in tex. qui hunc proxime antecedit ostendisset, quos nam homines faciat regio pinguis, mollis, aquosa & quæ sublimes aquas annique tempora male disposita habet, nunc ostendit quos nam homines regio huic contraria faciat, & inquit regionem nudam & aspe ram quæ hyeme à frigore prematur & æstate à sole exuratur, homines asperos fortes firmis & manifestis articulis, ingenuos, hyrsutos, operososque, & vigilantes gignere, moresque & iras pertinaces ac contumaces habentes, ferosque potius quam mãsuetos & ad artes capessendas & exercendas acutio res & solertiores ac bellicosos esse, alia vero omnia quæ è ter ra oriuntur regionis naturã comitari, adeo vt aspera siccaque sint. Demum Hypp. dicit has duas regiones de quibus ipse vltimo dixit contrarias esse, quas si quis recte considerauerit eas quæ inter ipsas mediæ sunt facile cognoscet, & quos nam homines ipsę faciant opt. sciet, quæ nam autem regio nuda & aspera sit superius dixi at quænam bene munita dicitur? An ea quę ventis non patet sed mõtibus & collibus vel aliis obiicibus à ventis defenditur, adeo vt frequentes in ea cœli mutationes non sint, quamuis in ea magnæ aeris mutationes sint, quamobrem de regione illa de qua in hoc tex. agit, Hyppoc. dixit, eam hyeme à frigore premi, æstate vero ab æstu vexari, sed cur in prædicta regione homines tales sunt quales in ea Hypp. esse dicit? An homines ipsos tales fieri in ea dicendum est prę magna regionis siccitate? ea enim homines duros, iracundos, feros, & asperos ac pertinaces facit, & ad artes capessendas exercendasque acutos ac solertes & bellicosos, quamobrem Heraclitus dicebat lux sicca anima sapientissima, & Gal. in libro de cognoscendis & curandis animi peccatis opt. ingenium in sicco temperamento esse, est autem solertia vt bene Arist. primo resolutoriorum posteriorum lib. affirmauit, subtilitas quædam medij in non perspecto tempore idest velox ac subita medij inuentio, quo aliquid

quid probare possimus, vt si quis videat lunam solem versus splendere statim probet eam à sole illustrari, ideo autem siccitas homines solertes facit quod caloris motum auget atq; velociorem facit, quapropter homines sicci magis solertes & ingenioſi quam cęteri sunt, nec solum hominum mores & ingenia atque corpora naturæ regionem comitantur, sed omnia ea quæ è terra oriuntur vt arbores, plantæ, & herbæ, quod nulla alia ratione euenit, nisi quia illa quæ in loco sunt loci naturæ similia esse oportet, siquidem à loco conseruari debent, cum igitur terra de qua hic Hypp. loquitur, nuda, aspera, à frigore pressa & à calore exusta sit, illa quoque quæ ex ea oriuntur dura, aspera, sicca, & sapida sunt, quoniam è terra quę talis est nascuntur & ab ea nutriuntur, quamobrem Arist. 1. lib. de generatione animalium, terram quasi fœminam & omnium matrem appellat, si quidem omnia in se ipsa gignit ac recipit, quod proprium fœminę ac matris esse experientia docet & idem Arist. eo in loco & primo œconomicorum autumat, cum ait omnem educationem natura esse à matre, quare & hominibus à terra quapropter omniũ mater est, si quidem plantis quoque terra alimentum suppeditat, plantæ enim è terræ succo nutriuntur, quamobrem vt conceptus vtero matris hæret ab ipsoque continetur ita & plantæ omnes terræ veluti omnium matri hærent vt opt. Galen. secundo libro de semine animaduertit. Cęterum facile aliquis dubitare posset de eo quod ego dixi videlicet ea quæ è sicca terra oriuntur sapida esse cum Arist. secundo de anima firmissimis argumentis probarit saporem esse humidi, quamobrem videtur vt res quæ è terra humida nascuntur & ab ea aluntur sapidiores esse debeant illis quæ è terra sicca oriuntur ab illa quę nutriuntur. An ideo Aristot. saporem humidi esse dixit quia ad hoc vt res actu sapida fiat eam humefacere opus est? ad quem vsum natura animantibus saliuam dedit, non autem asseruit res quo magis humidæ sunt magis sapidas esse, contrarium enim sensu comprehendimus, videlicet res quę in locis humidioribus & planis oriuntur minus sapidas esse iis quæ in collibus & siccioribus locis nascuntur vt fructus qui Romæ & in regionibus Romę vicinis gignuntur

mani-

manifeste indicant, sunt enim longe minus sapidę illis qui in Aethruriæ collibus oriuntur, quod hi in regione sicciori & magis ædita nascuntur quam illi qui Romę & in locis Romę vicinis oriuntur. Animaduertendum est primam huius tex. partem dupliciter legi, nam in impressis codicibus græcis ita legitur ἐνταῦθα δὲ σκληροῦς καὶ ἰσχνοὺς &c. quę verba significant hic sanè asperos, tenues, &c. alio modo legitur videlicet ἐνταῦθα δὲ σκληροῦς τε καὶ ἰσχυροὺς &c. quę verba significant hic sanè asperos & fortes &c. quam lectionem ego magis probo quia magis cohęrere videtur his quę superius ab Hyppoc. dicta sunt cum de illis qui siccam montanamq; regionem incolunt loquutus est.

FINIS.

41888
S

BIBLIOTECA